

DIES ROMANI

...RT READINGS FROM LATIN LITERATURE

W. F. WITTON, M.A.

SPECIMEN

1/6

G W Johnston


DIES ROMANI

SHORT READINGS FROM LATIN LITERATURE

COMPILED BY

W. F. WITTON, M.A.

FORMERLY SCHOLAR OF GONVILLE AND CAIUS COLLEGE, CAMBRIDGE
CLASSICAL MASTER AT ST. OLAVE'S GRAMMAR SCHOOL



LONDON
EDWARD ARNOLD
41 & 43 MADDOX STREET, BOND STREET, W.

PREFACE

Owing to recent changes in school curricula and methods, many boys now begin the study of Latin at the age of twelve or thirteen, work through an introductory book, and in three or four years reach the standard of a matriculation examination. They then leave school, too often with the lasting impression that Latin literature consists practically of the works of Caesar and Ovid, and with no more exact knowledge of the life and thought of the Romans than they have acquired from a grammatical study of the campaigns of the one and the mythology of the other.

Such a result seems inevitable, if the methods and textbooks suitable for those who will spend six or eight years on the study of Latin are adopted for these pupils. They cannot afford to devote the whole of a term or half-year to a single book.

Accordingly I have selected, from as wide a range of authors as possible, passages noteworthy either for their literary excellence or for their human interest. Though shorter than the ordinary 'book', they form in each case a complete whole; and will provide sufficient material for a three or four years' course, which may be begun as soon as the elements of the grammar are mastered.

To these I have added short accounts, written in simple Latin, of certain facts and institutions the knowledge of which the Roman writers themselves naturally took for granted: and I have adapted some of the dialogues of Erasmus, to show how Latin can be made

the vehicle for the expression of more modern ideas, and to serve as a model for conversation.

I venture to think that a course of this description will be found suitable for those whose reading will never extend beyond it, and will prove no less a sound introduction to a more serious study of Latin for those who are preparing to take a classical degree at a University.

I have added no vocabulary, since I hold that the extra time and trouble involved in the use of a small dictionary is more than balanced by the knowledge of the general as well as the particular meaning of a word, and by the habit of independent thought fostered by the necessity of choosing the right meaning to suit a given passage; nor have I trespassed upon the domain of the class-master by giving notes.

W. F. Witton.

St. Olave's School.
April, 1906.

A NOTE ON THE SPELLING OF LATIN

In the Golden Age of Latin Literature, which ended about the beginning of the Christian era, a great deal of freedom was customary in the matter of spelling, and the same word was written in several ways. It was not until the second century A.D. that uniformity prevailed. Following the practice which is now becoming usual, I have adopted, as far as possible, this second century spelling, so that two things must be borne in mind: first, that many words would not have been spelt as I have spelt them by Cicero or Caesar, or the authors of most of the extracts given here; and secondly, that, so far as any uniform system of spelling has been adopted in Latin-English dictionaries, it is not that used in this book.

(i) I have made no distinction between the vowel *i* and the consonant *i*, which is often represented by the sign *j*, an invention of the fourteenth century. Words beginning with *i* followed by a vowel must be sought in the dictionary under 'consonant *i*' or '*j*'. Compounds of *iacere*, to throw, are spelt with one *i*, as *conicit*. (They were almost certainly *pronounced* with both the vowel and the consonant *i* sound, since *conicit*, for example, is scanned as a dactyl.)

(ii) Prepositions and other words used as prefixes I have in many cases written unchanged, as *adfero*, *inritus*; but if they come before a hard consonant (*c*, *t*, or *p*), their last consonant is assimilated, as in *accedo*, *appeto*; and *n* before a labial sound (*m*, *b*, *p*) is changed to *m*, as in *compello*, *immortalis*. In most dictionaries assimilated forms are given in nearly all cases. (Here again, in the spoken language assimilation was the rule.)

(iii) *Caelum*, *cetera*, *cena*, *cum* (= when) are the forms here adopted: wrong forms, i. e. mediaeval forms, are still to be found in dictionaries.

(iv) The component parts of certain adverbial phrases, which are run into single words in the dictionaries, are here given separately; as, *qua re*, *quo modo*, *prius quam*.

THE CHIEF LATIN WRITERS

THE eight centuries of the life of Latin literature fall into four periods, Early Latin (200–70 B.C.), the Golden Age (70 B.C.–30 A.D.), Silver Latin (30–200 A.D.), and Late Latin (200–600 A.D.).

The authors in the first period were the dramatists Plautus and Terence, Cato and a few other writers of historical prose, and a number of poets, including Ennius and Lucretius.

As a stepping-stone to the Golden Age come Gaius Valerius CATULLUS (87–47 B.C.), the most human of the Roman poets, and Gaius SALLUSTIUS Crispus (86–34 B.C.), whose historical prose retains traces of the early stiffness. The glory of overcoming this belongs to Marcus Tullius CICERO (106–43 B.C.), in whose letters, speeches and philosophical writings the most polished Latin is seen, while Gaius Iulius CAESAR (100–44 B.C.) in his accounts of his campaigns shows what clearness Latin can possess. Of the poets Quintus HORATIUS Flaccus (65–8 B.C.), Publius VERGILIUS Maro (70–19 B.C.) and Publius OVIDIUS Naso (43 B.C.–18 A.D.), each is supreme in his own sphere: the first wrote songs, either festive or patriotic, and sketches of town life; the second the great epic poem of the Founding of the Roman State, which we call the Aeneid, together with pictures of country life; and the third love poems and tales of the old mythology. The historian Titus LIVIUS (59 B.C.–17 A.D.) leads on to the next period, which is marked by an exaggerated and affected style.

The chief writers of this Silver Age are Seneca, the philosopher; Lucan, an epic poet; Juvenal, a satirist; the two Plinies, the elder a writer on Natural History, and his nephew, Gaius PLINIUS Caecilius Secundus (61–113 A.D.), author of a volume of letters; Quintilian, a literary critic; Tacitus, a historian, and SUETONIUS (69–160 A.D.), a court biographer, and the writer of epigrams, MARTIAL (43–104 A.D.).

In the fourth period the language of the early Christian writers and the lawyers and historians of the falling empire gave rise to the ecclesiastical and legal Latin of the middle ages. At the end of the fifteenth century an attempt was made by ERASMUS and other scholars to restore the pure style of the classical period; but Latin soon afterwards ceased to be spoken except in the Roman Church service.

CONTENTS

		PAGE
I.	The Founding of Rome	1
II.	Asking a Holiday. (From Erasmus)	2
III.	Family Troubles. (Cic. *Ad Fam.* xiv. 19)	4
IV.	A Sketch of Roman History	4
V.	What is the Best Game? (From Erasmus)	5
VI.	The Roman Magistrates	7
VII.	The Roman Gods	8
VIII.	A Farmer's Prayer. (Hor. *Carm.* iii. 18)	9
IX.	When the World was Young. (Ovid, *Fasti*, ii. 289)	10
X.	Going to School. (From Erasmus)	10
XI.	A Familiar Letter. (Cic. *Ad Fam.* xiv. 20)	11
XII.	The Joys of Country Life. (Hor. *Epod.* ii)	11
XIII.	'For To-morrow we Die' (I). (Catullus, v)	13
XIV.	,, ,, ,, (II). (Hor. *Carm.* iv. 7)	14
XV.	Spartan Bravery. (Cic. *Tusc.* i. 101)	15
XVI.	Roman Dress	15
XVII.	A Conversation at Dinner. (From Erasmus)	16
XVIII.	The Roman House	18
XIX.	'What 's Sauce for the Goose.' (Cic. *De Orat.* ii. 68)	19
XX.	Notice of a Visit (I). (Cic. *Ad Fam.* vii. 4)	20
XXI.	,, ,, (II). (Cic. *Ad Fam.* ix. 23)	20
XXII.	A Man of Business. (Cic. *De Off.* iii. 58)	20
XXIII.	To a Sick Friend. (Cic. *Ad Fam.* xvi. 3)	22
XXIV.	The Roman Army	22
XXV.	The Lap-Dog's Portrait. (Mart. i. 109)	23
XXVI.	The Dead Sparrow. (Catullus, iii)	24
XXVII.	The Unlucky Tree. (Hor. *Carm.* ii. 13)	25
XXVIII.	The First Invasion of Britain. (Caes. *B. G.* iv. 20)	25
XXIX.	The Profits of Caesar's Conquests. (Cic. *Ad Fam.* vii. 7)	33
XXX.	A Description of Caesar. (Suet. *Div. Iul.* 45, 57)	34
XXXI.	The Tale of Arion and the Dolphin. (Ovid, *Fasti*, ii. 83)	35
XXXII.	The Punishment of Rudeness. (Ovid, *Met.* v. 438)	37
XXXIII.	The Punishment of Churlishness. (Ovid, *Met.* vi. 343)	38

PAGE

XXXIV. 'Distance no Object.' (Mart. ii. 5) 39
XXXV. Words of Parting. (Catullus, ci) 39
XXXVI. A Roman Faction Fight. (Cic. *Pro Mil.* 24) . . . 40
XXXVII. The Tale of Ceres and Persephone (Ovid, *Fasti*, iv. 419) 42
XXXVIII. Heaven Guards the Virtuous. (Hor. *Carm.* i. 22) . 48
XXXIX. The Tale of the Horatii and the Curiatii. (Livy, i. 22) 49
XL. The Dead Parrot. (Ovid, *Am.* ii. 6) 54
XLI. An Attack on a Roman Camp. (Caesar, *B. G.* vi. 35) 56
XLII. Horace's Immortality. (Hor. *Carm.* iii. 30) . . 60
XLIII. The Schoolmaster's Neighbour Complains. (Mart. ix. 69) 60
XLIV. The First Speech of Cicero against Catiline. (Cic. *In Cat.* i) 61
XLV. The Character of Catiline. (Sallust, *Cat.* v) . . 73
XLVI. The Tale of the Daughters of Danaus. (Hor. *Carm.* iii. 11) 74
XLVII. The Tale of Orpheus and Eurydice. (Verg. *Geor.* iv. 387) 76
XLVIII. 'To See Ourselves as Others See Us.' (Catullus, xxii) 80
XLIX. To a Book-Borrower. (Mart. i. 117) 81
L. The Battle of Lake Trasimene. (Livy, xxii. 4). . 82
LI. True and False Economy. (Pliny, *Ep.* ii. 6) . . 86
LII. The Philosophy of Horace. (Hor. *Carm.* i. 9) . . 87
LIII. A Feast for the Eyes. (Mart. iv. 78) 88
LIV. The Friendship of Nisus and Euryalus. (Verg. *Aen.* ix. 168) 89
LV. A Roman Fish Story. (Pliny, *Ep.* ix. 33) . . . 99
LVI. 'Sweet Catullus's All-but-Island.' (Catullus, xxxi) 100
LVII. The Eruption of Vesuvius, A.D. 79. (Pliny, *Ep.* vi. 16) 101
LVIII. The Herdsman's Life. (Verg. *Geor.* iii. 294) . . 104
LIX. A Savage Home. (Ovid, *Trist.* iii. 10) 107
LX. A Roman Governor's Troubles. (Cic. *Ad Att.* v. 15, vi. 4) 109
LXI. A Journey through Italy. (Hor. *Sat.* i. 5) . . . 111
LXII. The Tale of Coriolanus. (Livy, ii. 33) 113

DIES ROMANI

I

THE FOUNDING OF ROME.

[1] Per mediam Italiam Tiberis flumen fluit. In laeva ripa fluminis, haud procul a mari surgunt duo montes, circum quos alii colles continui iacent. In his montibus sita est urbs Roma. [2] Ipsi Romani dicebant eam anno septingesimo quinquagesimo tertio ante Christum natum conditam esse, et de origine urbis hanc fabulam narrant.

[3] Rex erat quondam in illis regionibus, nomine Numitor, qui a fratre Amulio e regno expulsus est. Haud multum post Silvia Numitoris filia geminos peperit filios ; hos Amulius, ne avi regnum sibi poscerent, in fluvium conici iussit. [4] Sed arcam, in qua pueri positi sunt, fluvius super ripas suas excedens inter illos colles reliquit ubi postea Roma condita est. Tum Mars, unus e deis Romanis, qui pater puerorum erat, lupam misit quae pueros velut catulos suos nutriebat. [5] Mox a pastore reperti et educati sunt, et nomina eis Romulus et Remus data sunt. Postquam autem adulti erant, avus nepotes suos agnovit, et ab eis adiutus Amulium interfecit et regnum sic recuperatum eis tradidit. [6] Illi tum novam urbem sibi condere constituerunt in illis collibus ubi tot annos habitaverant ; sed dum Romulus cum sociis suis murum urbis exstruit, Remus tam humilem murum deridens transiluit, et ab iratis Romuli amicis occisus est. Deinde Romulus solus urbem regebat vicinasque gentes adiungens longe validissimam earum regionum effecit.

[7] Haec fabula utrum vera sit necne, non satis constat ; nihil enim de Romulo novimus nisi quod ipsi

Romani dicebant. [8] Sed in monte Palatino, in quo Romani credebant Romulum urbem suam condidisse, adhuc exstant muri antiquissimi, qui fortasse illi sunt super quos Remus tam infeliciter saluit.

II

ASKING A HOLIDAY.

(From Erasmus.)

(*A conversation between three boys, Nicolaus, Hieronymus and Carolus, and their schoolmaster.*)

Nicolaus. Iamdudum et animus et caelum et dies invitat ad ludendum.

Hieronymus. Invitant quidem haec omnia, sed solus praeceptor non invitat.

Nic. Subornandus orator aliquis, qui veniam extorqueat.

Hi. Apte quidem dictum 'extorqueat'. Nam citius clavam extorseris e manu Herculis quam ab hoc ludendi veniam. At olim illo nemo fuit ludendi avidior.

Nic. Verum; sed iamdudum ille oblitus est se fuisse puerum. Ad verbera facillimus est et liberalis: hic autem parcissimus.

Hi. Tamen protrudendus est aliquis legatus, non nimis verecundae frontis.

Nic. Eat qui volet: ego carere malo quam rogare.

Hi. Nemo accommodatior ad hanc legationem quam Carolus.

Nic. Nemo profecto. Sensum hominis pulchre callet.

Hi. I, Carole, ab omnibus nobis magnas accepturus gratias.

Carolus. Equidem experiar sedulo; verum si non successerit, nolite culpam in oratorem conferre.

Hi. Bene ominare; si te satis novimus, impetrabis.

Car. Bene fortunet legationem meam Mercurius . . . Salve, praeceptor.

Paedagogus. Quid sibi vult hic nugator?

Car. Salve, praeceptor venerande.

Pae. Insidiosa civilitas.—Satis iam valeo. Dic quid velis.

Car. Totus discipulorum grex orat ludendi veniam.

Pae. Nihil aliud quam luditis, etiam sine venia.

Car. Scit tua prudentia vigorem ingeniorum exercitari moderato lusu, quem ad modum nos docuisti ex Quintiliano.

Pae. Sane istud tenes quod pro te facit. Laxamento opus est eis qui vehementer laborant: vobis, qui segniter studetis et acriter luditis, freno magis opus est quam laxatis habenis.

Car. Adnitimur pro viribus; et si quid prius cessatum est, post diligentia sarcietur.

Pae. O sartores! Quis erit sponsor istud futurum?

Car. Ego capitis mei periculo non dubitem esse sponsor.

Pae. Immo tergi periculo potius. Scio quam non sit tutum tibi credere; tamen hoc experiar, quam sis bonae fidei. Si dederis verba, posthac nequidquam mecum egeris. Ludant, sed gregatim in campis. Mature se recipiant domum ante solis occasum.

Car. Fiet . . . Exoravi, quamquam aegre.

Hi. O lepidum caput! Omnes amamus te plurimum.

Car. Sed interim cavendum est ne quid peccemus; alioqui de meo tergo dependendum erit. Spopondi vestro omnium nomine. Quod si quid accidat, non est quod me posthac utamini legato.

Hi. Cavebitur. Sed quod lusus genus potissimum placet?

Car. De hoc in campo consultabimus.

III

FAMILY TROUBLES.

(Cic. *Ad Fam.* xiv. 19.)

Tullius Terentiae Suae S.D.

In maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliae nostrae, de qua nihil est quod ad te plura scribam; tibi enim aeque magnae curae esse certo scio. Quod me propius vultis accedere, video ita esse faciendum: etiam ante fecissem, sed me multa impediverunt, quae ne nunc quidem expedita sunt. Sed a Pomponio exspecto litteras, quas ad me quam primum perferendas cures velim. Da operam ut valeas.

IV

A SKETCH OF ROMAN HISTORY.

[1] 'Urbem Romam a principio reges habuere': sic incipit Tacitus scriptor Romanus historiam suam. Post autem circiter ducentos quinquaginta annos, propter crudelitatem et superbiam suam regum ultimus nomine Tarquinius e Roma a populo expulsus est. [2] Tum magistratus, quos consules vocabant, quingentos fere annos civitati praeerant, et per hos annos res publica Romana imperium suum latius semper proferebat. Primum vicinarum gentium, quae Latinae vocabantur, caput facta est; deinde contra Etruscos, qui a septentrione habitabant, et Samnites bella gesserunt Romani, donec omnes Italiae populos aut socios aut subiectos sibi habuerunt. [3] Tum certamen magnum contra Carthaginienses ortum est, in quo cum post sexaginta annos vicissent Romani, Hispaniam et Siciliam imperio suo addiderunt. [4] Tum in orientem arma vertentes, Graeciam, Aegyptum cum maritimis Africae regionibus et proximas Asiae

partes suae dicionis fecerunt. Postremo Galliam et Britanniam et Europae alias partes Danubio fluvio tenus occupaverunt. [5] Sed paulo antequam imperium Romanum latissime patuit, summa potestas a consulibus ad principes, qui et imperatores nominabantur, translata est. Horum primus Augustus tum imperitabat cum natus est Iesus Christus. Post illum quadringentos quinquaginta annos stetit res Romana, donec a Germanis aliisque barbaris capta est Roma finisque eius gloriae facta est. [6] Sed etiam moriens barbaros victores humaniores effecit; et ea est Romanorum laus, quod antiquorum artes, litteras, iura, philosophiam gentibus iunioribus tradiderunt. Ita leges hodiernae magna ex parte a legibus Romanis ductae sunt, pluresque gentes linguis utuntur quae velut filiae sunt linguae Latinae.

V

WHAT IS THE BEST GAME?

(From Erasmus.)

(*A conversation between Nicolaus, Hieronymus, Carolus and Thomas.*)

Car. 'Trahit sua quemque voluptas': mihi placet venatio.

Hi. Placet et mihi; sed ubi canes, ubi venabula, ubi casses?

Car. Valeant apri, ursi, cervi, vulpes; nos insidiamur cuniculis.

Hi. At ego laqueos iniciam locustis, insidiabor gryllis.

Nic. Ego ranas captabo.

Thomas. Ego papiliones venabor.

Nic. Difficile est sectari volantia.

Th. Difficile, sed pulchrum; nisi pulchrius esse ducis sectari lumbricos, aut cochleas, quia carent alis.

Nic. Equidem malo insidiari piscibus: est mihi hamus elegans.

Th. Sed unde parabis escam?

Nic. Lumbricorum ubique est magna copia.

Th. Est, si tibi velint prorepere e terra.

Nic. At ego mox efficiam ut multae myriades prosiliant.

Th. Quo pacto? An incantamentis?

Nic. Videbis artem. Imple hanc situlam aqua. Hos iuglandium summos cortices virentes confractos immittito. Hac aqua perfunde solum. Nunc observa paulisper. Videsne emergentes?

Th. Rem prodigiosam video. Sic olim, ut opinor, exsiliebant armati ex satis serpentis dentibus. Sed plerique pisces delicatioris sunt palati quam ut esca tam vulgari capiantur.

Nic. Novi quoddam insecti genus, quo talibus insidiari soleo.

Hi. Quid si nos duo micemus digitis?

Car. Ignavum est ac rusticum lusus genus. Ad focum desidentibus magis convenit quam in campo versantibus.

Hi. Quid si certemus nucibus?

Car. Nuces admodum pueris relinquamus; nos grandiusculi sumus.

Hi. Et tamen nihil aliud quam pueri sumus.

Car. Sed quibus decorum est ludere nucibus, eisdem non indecorum equitare in arundine longa. Tu tamen praescribito lusus genus; sequar quocumque vocaris.

Hi. Libetne decertare saltu?

Car. Ludus iste non convenit pransis.

Hi. Quam ob rem?

Car. Quia ventris onus gravat corpus.

Hi. Non sane qui pransi sint in paedagogio. Nam ibi plerumque cenaturiunt prius quam absolverint prandium.

Car. Quod igitur saliendi genus placet?

Hi. Auspicemur ab eo quod est simplicissimum, a

saltu locustarum, sive ranarum, iunctis pedibus. Huius ubi erit satietas, aliud atque aliud genus experiemur.

Car. Equidem nullum recusabo genus, nisi quod geritur cum periculo tibiarum.

Hi. Hastae innixum salire in primis est elegans.

Car. Liberalius est certare cursu, siquidem hoc certaminis genus apud Vergilium proposuit et Aeneas.

Hi. Verum; sed idem proposuit et caestuum certamen, quo non delector.

Car. Designa stadium. Hoc loco sit carcer, quercus ista sit meta.

Hi. Sed utinam adesset Aeneas, qui proponat et praemia victori.

Car. Est ingens aestus; praestiterit natare.

Hi. Mihi non placet ranarum vita. Animal sum terrestre. Sum plane rudis atque imperitus natandi, nec sine periculo versamur in alieno elemento.

Car. Sed adsuescere oportet. Nemo nascitur artifex.

VI

THE ROMAN MAGISTRATES.

[1] Si vitam Romanorum intelligere cupis, necesse est ut de re publica Romana aliquantum scias. Populi conventus, qui Comitia vocabantur, quotannis facti sunt ad magistratus creandos. Hi plerumque cives erant propter genus antiquum vel divitias vel praeclara in bello gesta insignes. Magistratui cuique proprium munus erat. [2] Consules duo summum imperium habebant, et rem publicam universam administrabant. Praetores lites et iudicia, quaestores rationes publicas curabant. Aediles aedificia publica tuebantur, vias exstruebant purgabantque, annonae regimen habebant. [3] Tribuni plebis a plebeiis vel inferioris condicionis civibus electi, videbant ne a magistratibus nobilibus cives pauperes vexarentur.

Quinto quoque anno duo censores creabantur, qui populi censum haberent et in ordines disponerent, et in cives turpes infamiae nota animadverterent. [4] Cum pericula graviora exorta erant, res publica tota uni magistratui commissa est, qui dictator vocabatur et sex menses hoc imperium tenebat. [5] Cum magistratus superiores unum annum munera sua exercuissent, alterum annum plerumque in provinciis imperium habebant. Has saepe crudelissime vexabant ut divitias sibi pararent. Hi quia pro consule vel praetore agebant, proconsules et propraetores vocabantur. [6] Cum in urbem rediissent, in Senatum recepti sunt. Senatores consilio suo consules adiuvabant et reditum civitatis et provincias curabant. [7] Haec res publica idcirco stabilis erat, quod nemini nimia potestas data est; sed tandem eversa est a ducibus exercituum qui magna gloria et potentia fructi, privati fieri nolebant vel timebant.

VII

THE ROMAN GODS.

[1] Romani multos deos venerabantur, qui, ut putabant, alius alio modo hominum vitam tangebant. Iuppiter enim, rex deorum, caelum regebat, et imbres diesque serenos dispensabat. Cum igitur fortunis hominum praeesse videretur, atque in bello victoriam dare, Optimus et Maximus vocabatur, et in urbe templis splendidis colebatur. [2] Uxor eius Iuno uxoribus Romanis fortunam bonam dabat. Alii dei victum hominibus suppeditabant, aliisque donis eos adiuvabant; in his Ceres frumentum, fructus Pomona, vites Liber dabat; Faunus agros fertiles efficiebat, ovibusque lupos arcebat; ignis a Volcano acceptus est, aqua a Neptuno. [3] Tum alii diversis hominum studiis et negotiis praeerant; Minerva artifices tuebatur, Mercurius mercatores, Mars milites.

Alii deinde vitam domesticam curabant; e quibus Venus amorem inter maritos exciebat, Vesta ignem in foco ardentem servabat, Lares et Penates fortunam domus sustentabant. Quodcumque Romani faciebant, aliquem deum sibi adesse putabant. [4] Tum ea quae vi naturae fiunt, deus effecisse videbatur. Ita solem Apollo regebat, qui et Phoebus vocabatur, lunam Diana; fontes, silvae, montes nymphas suas habebant; in fluvio quoque habitabat deus interdum mitis erga homines, saepe iratus; in primis Romani patrem Tiberinum venerabantur. Post hanc vitam denique alii dei mortuorum animas sub imperio suo tenebant, Dis cum uxore sua Proserpina. [5] Cultus autem Romanorum deorum paulatim cum Graecis moribus confusus est; itaque non modo nomina Graeca deis Romanis data sunt, ut Liber Bacchus nominaretur, sed etiam multi Graeci dei in numerum Romanorum recepti sunt.

VIII

A FARMER'S PRAYER.

(Hor. *Carm.* iii. 18.)

Faune, nympharum fugientum amator,
Per meos fines et aprica rura
Lenis incedas abeasque parvis
    Aequus alumnis,
Si tener pleno cadit haedus anno,
Larga nec desunt Veneris sodali
Vina craterae, vetus ara multo
    Fumat odore.
Ludit herboso pecus omne campo,
Cum tibi Nonae redeunt Decembres;
Festus in pratis vacat otioso
    Cum bove pagus;

Inter audaces lupus errat agnos;
Spargit agrestes tibi silva frondes;
Gaudet invisam pepulisse fossor
Ter pede terram.

IX

WHEN THE WORLD WAS YOUNG.

(Ovid, *Fasti* ii. 289.)

Ante Iovem genitum terras habuisse feruntur
Arcades, et Luna gens prior illa fuit.
Vita feris similis, nullos agitata per usus;
Artis adhuc expers et rude vulgus erat.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:
Nectar erat palmis hausta duabus aqua.
Nullus anhelabat sub adunco vomere taurus;
Nulla sub imperio terra colentis erat;
Nullus adhuc erat usus equi, se quisque ferebat:
Ibat ovis lana corpus amicta sua;
Sub Iove durabant, et corpora nuda gerebant,
Docta graves imbres et tolerare Notos.

X

GOING TO SCHOOL.

(From Erasmus.)

Gulielmus. Cur adeo curris, Iohannes?

Iohannes. Quia nisi adfuero in tempore, actum est de pelle mea.

Gul. Hac quidem ex parte nihil est periculi.

Ioh. Sed est et aliud, unde magis etiam timeam. Reddenda est memoriter hesterna lectio, satis prolixa. Vereor ut possim.

Gul. Commune narras periculum: nam et ipse vix satis teneo.

Ioh. Et nosti praeceptoris saevitiam. Omnis illi noxia capitalis est. Nobis cavendum, ne incidamus in tyranni manus.

Gul. Reddamus inter nos vicissim, altero recitante, altero codicem inspiciente.

Ioh. Pulchre mones.

Gul. Fac praesenti sis animo. Nam metus officit memoriae.

Ioh. Facile deponerem pavorem, si non adesset periculum. At in tanto discrimine quis possit esse securus animo?

XI

A FAMILIAR LETTER.

(Cic. *Ad Fam.* xiv. 20.)

Tullius S. D. Terentiae Suae.

In Tusculanum nos venturos putamus aut Nonis aut postridie: ibi ut sint omnia parata—plures enim fortasse nobiscum erunt et, ut arbitror, diutius ibi commorabimur: labrum si in balineo non est, ut sit: item cetera quae sunt ad victum et ad valetudinem necessaria. Vale.

K. Oct. de Venusino.

XII

THE JOYS OF COUNTRY LIFE.

(Hor. *Epod.* ii.)

Beatus ille qui procul negotiis,
  Ut prisca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis
  Solutus omni fenore,
Neque excitatur classico miles truci,
  Neque horret iratum mare,
Forumque vitat et superba civium

Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos,
Aut in reducta valle mugientium
Prospectat errantes greges,
Inutilesve falce ramos amputans
Feliciores inserit,
Aut pressa puris mella condit amphoris,
Aut tondet infirmas oves:
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus agris extulit,
Ut gaudet insitiva decerpens pira,
Certantem et uvam purpurae,
Qua muneretur te, Priape, et te, pater
Silvane, tutor finium.
Libet iacere modo sub antiqua ilice.
Modo in tenaci gramine:
Labuntur altis interim rivis aquae.
Queruntur in silvis aves,
Fontesque lymphis obstrepunt manantibus.
Somnos quod invitet leves.
At cum tonantis annus hibernus Iovis
Imbres nivesque comparat,
Aut trudit acres hinc et hinc multa cane
Apros in obstantes plagas,
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos,
Pavidumque leporem et advenam laqueo gruem
Iucunda captat praemia.
Quis non malarum, quas amor curas habet,
Haec inter obliviscitur?
Quodsi pudica mulier in partem iuvet
Domum atque dulces liberos,
Sabina qualis aut perusta solibus
Pernicis uxor Apuli.

Sacrum vetustis exstruat lignis focum
  Lassi sub adventum viri,
Claudensque textis cratibus laetum pecus
  Distenta siccet ubera,
Et horna dulci vina promens dolio
  Dapes inemptas apparet:
Non me Lucrina iuverint conchylia
  Magisve rhombus aut scari,
Si quos Eois intonata fluctibus
  Hiems ad hoc vertat mare,
Non Afra avis descendat in ventrem meum,
  Non attagen Ionicus
Iucundior, quam lecta de pinguissimis
  Oliva ramis arborum,
Aut herba lapathi prata amantis et gravi
  Malvae salubres corpori,
Vel agna festis caesa terminalibus,
  Vel haedus ereptus lupo.
Has inter epulas ut iuvat pastas oves
  Videre properantes domum,
Videre fessos vomerem inversum boves
  Collo trahentes languido,
Positosque vernas, ditis examen domus,
  Circum renidentes Lares.
Haec ubi locutus fenerator Alfius,
  Iam iam futurus rusticus,
Omnem redegit Idibus pecuniam,
  Quaerit Kalendis ponere.

XIII

'FOR TO-MORROW WE DIE.' (I)

(Catullus v.)

Vivamus, mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum severiorum

Omnes unius aestimemus assis.
Soles occidere et redire possunt:
Nobis, cum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.
Da mi basia mille, deinde centum,
Dein mille altera, dein secunda centum,
Dein usque altera mille, deinde centum;
Dein, cum milia multa fecerimus,
Conturbabimus illa, ne sciamus,
Aut ne quis malus invidere possit,
Cum tantum sciat esse basiorum.

XIV

'FOR TO-MORROW WE DIE.' (II)

(Hor. *Carm.* iv. 7.)

Diffugere nives, redeunt iam gramina campis
  Arboribusque comae;
Mutat terra vices, et decrescentia ripas
  Flumina praetereunt;
Gratia cum nymphis geminisque sororibus audet
  Ducere nuda choros.
Immortalia ne speres, monet annus et almum
  Quae rapit hora diem.
Frigora mitescunt Zephyris, ver proterit aestas
  Interitura, simul
Pomifer autumnus fruges effuderit, et mox
  Bruma recurrit iners.
Damna tamen celeres reparant caelestia lunae:
  Nos ubi decidimus
Quo pater Aeneas, quo dives Tullus et Ancus,
  Pulvis et umbra sumus.
Quis scit an adiciant hodiernae crastina summae
  Tempora di superi?

Cuncta manus avidas fugient heredis, amico
  Quae dederis animo.
Cum semel occideris et de te splendida Minos
  Fecerit arbitria,
Non, Torquate, genus, non te facundia, non te
  Restituet pietas.
Infernis neque enim tenebris Diana pudicum
  Liberat Hippolytum,
Nec Lethea valet Theseus abrumpere caro
  Vincula Pirithoo.

XV

SPARTAN BRAVERY.

(Cic. *Tusc.* i. 101.)

(*After mentioning some examples of bravery, Cicero continues*)

Pari animo Lacedaemonii in Thermopylis occiderunt, in quos Simonides:

Dic, hospes, Spartae nos te hic vidisse iacentes,
  Dum sanctis patriae legibus obsequimur.

Quid ille dux Leonidas dicit? 'Pergite animo forti, Lacedaemonii; hodie apud inferos fortasse cenabimus.' Fuit haec gens fortis, dum Lycurgi leges vigebant. E quibus unus, cum Perses hostis in conloquio dixisset glorians: 'Solem prae iaculorum multitudine non videbitis,' 'In umbra igitur,' inquit, 'pugnabimus.'

XVI

ROMAN DRESS.

[1] Tam mitis erat in Italia caeli temperies, ut non opus esset multis vestimentis. Apud Romanos viri duabus solis vestibus se tegebant. [2] Ea quae corpori erat propior, tunica vocabatur; in hac erant ordinis insignia; is enim

cuius tunica clavum latum purpurei coloris habebat, senator erat; clavus autem angustus equitem significabat. [3] Super hanc induebant togam, quae praecipua erat Romanorum vestis; itaque Vergilius eos gentem togatam vocat. Toga ex lana alba texta erat; sed pueri togam ornatam habebant, quam praetextam dicebant; haec magistratuum quoque insigne erat. Qui honores petebat, cum togam candidam gereret, candidatus vocabatur. [4] Domi soleae pedum tegmen erant, foris calcei. Capite aperto usque quaque ambulabant; cum tamen plueret vel iter facerent deposita toga paenulam sumebant, et caput petaso vel cucullo tegebant. [5] Mulieres super tunicam stolam induebant usque ad pedes demissam; cum domo exierant et pallam sibi iniciebant.

XVII

A CONVERSATION AT DINNER.

(From Erasmus.)

Erasmus. Quamquam, ut ait poeta, 'Quot homines, tot sententiae,' tamen nemo me adduxerit, ut credam plus ingeniis inesse varietatis quam palatis. Ita vix duo reperias, quos eadem iuvent. Permultos vidi qui casei ne odorem quidem ferrent; sunt quibus carnes nauseae sint; alius elixis, alius assis abstinet. Multi aquam vino praeferunt; et, quod incredibile est, vidi hominem qui nec pane nec vino uteretur.

Christianus. Et quibus tandem miser ille victitabat? Quibus vescebatur?

Er. Ceterorum nihil fastidiebat, non carnes, non pisces, non olera, non poma.

Ch. Visne istud tibi credam?

Er. Si libet.

Ch. Credo, sed ea lege, ut vicissim mihi mentienti fidem sis habiturus

Er. Faciam, modo verecunde mentiaris.

Ch. Quasi vero sit quidquam tuo commento impudentius!

Er. Quid dices, si hominem ipsum tibi monstrabo?

Ch. Macilentum aliquem esse puto.

Er. Immo diceres athletam. Hoc tibi mirum videri demiror, cum multi sint, quibus pisces vento durati sint panis loco: nonnullis hoc praestent herbarum radices, quod nobis panis.

Ch. Credo; sed perge mentiri.

Er. In Italia, cum illic agerem, videre quendam memini, qui neque cibo neque potu adiutus, somno saginabatur.

Ch. Ut nihil pudet! Tu nunc poetam agis; nam 'mentiris' dicere mihi religio est.

Er. Unde tibi nunc venatio?

Ch. Midas, homo hominum qui vivunt liberalissimus nostrique amantissimus, mihi misit dono: dono quidem, sed sic ut ego minoris emam saepe.

Er. Qui sic?

Ch. Quia famulis plus dandum quam daretur in macello vendenti.

Er. Quae res cogit hoc facere?

Ch. Tyrannus omnium violentissimus—mos.

Er. Profecto tyrannus iste saepe iniquissimas leges obtrudit mortalibus. Idem suo more nudiustertius hunc cervum venatus est. Sed quid tu, qui soles istius studii esse amantissimus?

Augustinus. Equidem hoc studio plane relicto, iam praeter litteras nihil venor.

Ch. At mihi videntur litterae quovis cervo fugaciores. —Quid te anserinae carnes delectant?

Aug. Me quidem haud mediocriter iuvant, ut sum minime fastidiosus; at hic anser nescio quo pacto nihil me iuvat; nihil enim in vita vidi siccius. Et mehercule, quantum suspicor, veteranus miles immodicis excubiis se

maceravit. Aiunt enim anserem inter omnia animalia longe esse vigilantissimum. Et profecto, nisi coniectura fallor, hic anser ex eorum numero est, qui, canibus una cum excubitoribus somno sopitis, Romanum olim Capitolium defenderunt.

Ch. Sedetis iamdudum otiosi. Libetne cuiquam quidquam amplius?

Er. Nihil omnino. Strenue munus nostrum administravimus.

Ch. Heus, Dromo! tolle haec, ac bellaria appone. En pruna cerea; en Damascena, rarum apud nos spectaculum; en mitia mala; en mali novum genus, cuius matrem ego hisce manibus consevi. Nuces castaneae, omne deliciarum, quas horti nostri benigne effundunt, genus.

Aug. Sed sol nos reliquit, humescit caelum. Praestat imitari aviculas, tectoque ac lecto nos condere. Proinde vale, mi Christiane suavissime, in crastinum.

XVIII

THE ROMAN HOUSE.

(*An imaginary letter from a Roman lady to a friend.*)

VALERIA CORNELIAE SUAE S. D.

Gaudeo tibi nuntiare nos huc ex illo pestilento in Esquiliis stabulo tandem penates transtulisse. Multis et maximis de causis mihi haec migratio placet. Hae enim aedes ut minus spatiosae, tamen plus opportunitatis in se habent et commodius sitae sunt. Hinc enim e Palatino Forum et Curiam paene sub oculis habemus, et ego ad sororem Vestalem sine ulla molestia deferor. Id unum moleste fero, quod vir meus minus videtur dolere, plus iam abesse matris domum. Visne aedium formam tibi describam? Atrium non ita magnum sed praealtum, nec

luce nec aëre caret: impluvium signis pulchellis ornatum: tablinum satis amplum et viri mei negotiis accommodatum: ultra hoc porticus exigua cum horto pari; sed non in Urbe desideramus ambulationem quam praebet villa Tiburtina. Triclinium vero festivissimum est, ad vesperum spectans, ut vel aestus nimios vel ventos frigidos effugiat, et nobis, qui lectos potius quam multos accipimus, satis grande. Nuper parietes novis picturis ornati sunt: hinc Aeneae cum Anchisa ex Troia fuga, illinc Horatius pontem defendens. Praeterea cubicula sunt multa et, ut spero, salubria; illud maxime in rem est, quod non umori terrestri obnoxia sunt servorum cubicula; nisi enim hos bene tractes, actum est: nihil commode administratur. In veteri domo semper unus vel alter aeger erat. Hic autem tam ampla culina tamque bene instructa, non possunt coci quin cenas iucundas, immo lautas, apponant. Sed cur ego tibi plura scribam? Nam ipsa praesens videbis hic quam beate habitemus. Itaque cura ut valeas et nos quam primum visites. Sempronium tuum meis verbis saluta. Vale. Haec Romae scribebam Kal. Mart.

XIX

'WHAT'S SAUCE FOR THE GOOSE.'

(Cic. *De Orat.* ii. 68.)

Nasica cum ad poetam Ennium venisset eique, ab ostio quaerenti Ennium, ancilla dixisset domi non esse, Nasica sensit illam domini iussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus cum ad Nasicam venisset Ennius et eum a ianua quaereret, exclamat Nasica se domi non esse. Tum Ennius, 'Quid? ego non cognosco,' inquit, 'vocem tuam?' Hic Nasica, 'Homo es impudens. Ego cum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non esse: tu mihi non credis ipsi?'

XX

NOTICE OF A VISIT. (I)

(Cic. *Ad Fam.* vii. 4.)

M. Cicero S. D. M. Mario.

A.D. ix Kal. in Cumanum veni cum Libone tuo vel nostro potius; in Pompeianum statim cogito, sed faciam ante te certiorem. Te cum semper valere cupio, tum certe, dum hic sumus; vides enim, quanto post una futuri simus. Quare, si quod constitutum cum podagra habes, fac, ut in alium diem differas. Cura igitur ut valeas, et me hoc biduo aut triduo exspecta.

XXI

NOTICE OF A VISIT. (II)

(Cic. *Ad Fam.* ix. 23.)

Cicero Paeto.

Heri veni in Cumanum; cras ad te fortasse; sed cum certum sciam, faciam te paulo ante certiorem; etsi M. Caeparius, cum mihi in silva Gallinaria obviam venisset quaesissemque quid ageres, dixit te in lecto esse, quod ex pedibus laborares; tuli scilicet moleste, ut debui, sed tamen constitui ad te venire, ut et viderem te et viserem et cenarem etiam; non enim arbitror cocum etiam te arthriticum habere. Exspecta igitur hospitem cum minime edacem tum inimicum cenis sumptuosis.

XXII

A MAN OF BUSINESS.

(Cic. *De Off.* iii. 58.)

[58] C. Canius eques Romanus nec infacetus et satis litteratus, cum se Syracusas otiandi, ut ipse dicere solebat,

non negotiandi causa contulisset, dictitabat se hortulos aliquos emere velle, quo invitare amicos et ubi se oblectare sine interpellatoribus posset. Quod cum percrebruisset, Pythius ei quidam, qui argentariam faceret Syracusis, venales quidem se hortos non habere, sed licere uti Canio, si vellet, ut suis, et simul ad cenam hominem in hortos invitavit in posterum diem. Cum ille promisisset, tum Pythius, qui esset ut argentarius apud omnes ordines gratiosus, piscatores ad se convocavit, et ab eis petivit, ut ante suos hortulos postridie piscarentur, dixitque quid eos facere vellet. Ad cenam tempori venit Canius: opipare a Pythio apparatum convivium, cumbarum ante oculos multitudo: pro se quisque quod ceperat adferebat: ante pedes Pythii pisces abiciebantur. [59] Tum Canius, 'Quaeso,' inquit, 'quid est hoc, Pythi? tantumne piscium? tantumne cumbarum?' Et ille, 'Quid mirum?' inquit, 'hoc loco est Syracusis quidquid est piscium, hic aquatio, hac villa isti carere non possunt.' Incensus Canius cupiditate contendit a Pythio ut venderet. Gravate ille primo. Quid multa? impetrat. Emit homo cupidus et locuples tanti, quanti Pythius voluit, et emit instructos. Nomina facit, negotium conficit. Invitat Canius postridie familiares suos, venit ipse mature, scalmum nullum videt. Quaerit ex proximo vicino num feriae quaedam piscatorum essent, quod eos nullos videret. 'Nullae, quod sciam,' inquit, 'sed hic piscari nulli solent: itaque heri mirabar quid accidisset.' [60] Stomachari Canius: sed quid faceret? Nondum enim C. Aquilius collega et familiaris meus, protulerat de dolo malo formulas: in quibus ipsis cum ex eo quaereretur, quid esset dolus malus, respondebat, cum esset aliud simulatum, aliud actum.

XXIII

TO A SICK FRIEND.

(Cic. *Ad Fam.* xvi. 3.)

Tullius et Cicero Tironi Suo Sal. Dic. et Q. Pater et Filius.

Nos apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, unum diem commorati sumus, quod Quintus nos consecutus non erat: is dies fuit Non. Nov. Inde ante lucem proficiscentes ante diem VIII Idus Nov. has litteras dedimus. Tu, si nos omnes amas et praecipue me, magistrum tuum, confirma te. Ego valde suspenso animo exspecto, primum te scilicet, deinde Marionem cum tuis litteris. Omnes cupimus, ego in primis, quam primum te videre, sed, mi Tiro, valentem; quare nihil properaris: satis cito te videro, si valebis. Utilitatibus tuis possum carere: te valere tua causa primum volo, tum mea, mi Tiro. Vale.

XXIV

THE ROMAN ARMY.

[1] Aliis temporibus aliis modis Romani exercitum instruebant. Quo modo in eis bellis pugnaverint, quae recenti adhuc re publica contra Etruscos aliosque vicinos populos et in eis quae postea adversus Hannibalem gerebant, Livius scriptor Romanus nobis indicat. [2] Ex tribus militum generibus tum legio constabat: qui in prima aciei parte pugnabant, hastati vocabantur; si eorum impetus hostes non fuderat, succedebant principes; his quoque repulsis, triarii, spes ultima, veteranorum robur et scientiam ad certamen adferebant. Hinc oritur pro-

verbium illud, 'res ad triarios venit.' [3] Principes et hastatorum maior pars galea, lorica, scuto tegebantur et gladio duobusque pilis rem gerebant; his, cum nondum ad manus venissent, summa vi in hostes contorsis, gladiis strictis in turbatos hostium ordines inruebant. Triarii hastis longis incurrebant. [4] Cum autem Romani contra Gallos et Germanos Caesare duce pugnarent, ut ipse narrat, legionarii omnes gladiis pilisque armati erant; nec iam triplici acie sed tantum duplici pugnabatur. [5] Idcirco exercitus Romanus plerumque victor erat, quod legio e multis partibus constabat, quarum una quaeque per se moveri ordinemque suum in acie noscere poterat; itaque ex agmine summa celeritate acies institui et in quamlibet partem verti poterat. [6] Decima legionis pars cohors erat; tertia pars cohortis manipulus; dimidia manipuli centuria. Manipuli suum quisque signum habebant quod manipulares sequerentur. [7] Qui toti exercitui duarum vel plurium legionum imperabat, imperator vocabatur; legioni, quae v fere milia hominum continebat, sex tribuni praeerant pari potestate praediti; centuriae cuique centurio praefectus erat, et is qui ex centurionibus primum locum obtinebat, signum totius legionis, vel aquilam, ferebat, et aquilifer vocabatur.

XXV

THE LAP-DOG'S PORTRAIT.

(Mart. i. 109.)

Issa est passere nequior Catulli,
Issa est purior osculo columbae,
Issa est blandior omnibus puellis,
Issa est carior Indicis lapillis,
Issa est deliciae catella Publi.
Hanc tu, si queritur, loqui putabis;

Sentit tristitiamque gaudiumque.
Collo nixa cubat, capitque somnos,
Ut suspiria nulla sentiantur.
Hanc ne lux rapiat suprema totam,
Picta Publius exprimit tabella,
In qua tam similem videbis Issam,
Ut sit tam similis sibi nec ipsa.
Issam denique pone cum tabella:
Aut utramque putabis esse veram,
Aut utramque putabis esse pictam.

XXVI

THE DEAD SPARROW.

(Catullus, iii.)

Lugete, O Veneres Cupidinesque,
Et quantum est hominum venustiorum.
Passer mortuus est meae puellae,
Passer, deliciae meae puellae,
Quem plus illa oculis suis amabat.
Nam mellitus erat suamque norat
Ipsa tam bene quam puella matrem;
Nec sese a gremio illius movebat,
Sed circumsiliens modo huc modo illuc
Ad solam dominam usque pipiabat.
Qui nunc it per iter tenebricosum
Illuc, unde negant redire quemquam.
At vobis male sit, malae tenebrae
Orci, quae omnia bella devoratis:
Tam bellum mihi passerem abstulistis.
Vae factum male! Vae miselle passer!
Tua nunc opera meae puellae
Flendo turgiduli rubent ocelli.

XXVII

THE UNLUCKY TREE.

(Hor. *Carm.* ii. 13. 1–12.)

Ille et nefasto te posuit die,
Quicumque primum, et sacrilega manu
  Produxit, arbos, in nepotum
    Perniciem opprobriumque pagi;
Illum et parentis crediderim sui
Fregisse cervicem et penetralia
  Sparsisse nocturno cruore
    Hospitis; ille venena Colcha
Et quidquid usquam concipitur nefas
Tractavit, agro qui statuit meo
  Te, triste lignum, te caducum
    In domini caput immerentis.

XXVIII

THE FIRST INVASION OF BRITAIN BY THE ROMANS.

(Caes. *B. G.* iv. 20.)

(*Having temporarily pacified Gaul, Caesar makes an expedition into Britain, in the year* 55 B.C. *He gives this account of it himself.*)

XX. [1] Exigua parte aestatis reliqua, Caesar, etsi in his locis, quod omnis Gallia ad septentriones vergit, maturae sunt hiemes, tamen in Britanniam proficisci contendit, quod omnibus fere Gallicis bellis hostibus nostris inde subministrata auxilia intellegebat, [2] et, si tempus anni ad bellum gerendum deficeret, tamen magno sibi usui fore arbitrabatur, si modo insulam adisset, genus hominum perspexisset, loca, portus, aditus

cognovisset; quae omnia fere Gallis erant incognita. [3] Neque enim temere praeter mercatores illo adiit quisquam, neque eis ipsis quidquam praeter oram maritimam atque eas regiones, quae sunt contra Gallias, notum est. [4] Itaque, vocatis ad se undique mercatoribus, neque quanta esset insulae magnitudo, neque quae aut quantae nationes incolerent, neque quem usum belli haberent, aut quibus institutis uterentur, neque qui essent ad maiorum navium multitudinem idonei portus, reperire poterat.

XXI. [1] Ad haec cognoscenda, prius quam periculum faceret, idoneum esse arbitratus C. Volusenum, cum navi longa praemittit. [2] Huic mandat ut, exploratis omnibus rebus, ad se quam primum revertatur. [3] Ipse cum omnibus copiis in Morinos proficiscitur, quod inde erat brevissimus in Britanniam traiectus. [4] Huc naves undique ex finitimis regionibus, et quam superiore aestate ad Veneticum bellum effecerat, classem iubet convenire. [5] Interim, consilio eius cognito et per mercatores perlato ad Britannos, a compluribus insulae civitatibus ad eum legati veniunt, qui polliceantur obsides dare atque imperio populi Romani obtemperare. [6] Quibus auditis, liberaliter pollicitus hortatusque ut in ea sententia permanerent, eos domum remittit, [7] et cum eis una Commium, quem ipse, Atrebatibus superatis, regem ibi constituerat, cuius et virtutem et consilium probabat, et quem sibi fidelem esse arbitrabatur, cuiusque auctoritas in his regionibus magni habebatur, mittit. [8] Huic imperat, quas possit, adeat civitates, horteturque ut populi Romani fidem sequantur, seque celeriter eo venturum nuntiet. [9] Volusenus, perspectis regionibus omnibus, quantum ei facultatis dari potuit qui navi egredi ac se barbaris committere non auderet, quinto die ad Caesarem revertitur, quaeque ibi perspexisset renuntiat.

XXII. [1] Dum in his locis Caesar navium parandarum causa moratur, ex magna parte Morinorum ad eum legati

venerunt, qui se de superioris temporis consilio excusarent, quod homines barbari et nostrae consuetudinis imperiti bellum populo Romano fecissent, seque ea quae imperasset facturos pollicerentur. [2] Hoc sibi Caesar satis opportune accidisse arbitratus, quod neque post tergum hostem relinquere volebat, neque belli gerendi propter anni tempus facultatem habebat, neque has tantularum rerum occupationes Britanniae anteponendas iudicabat, magnum eis numerum obsidum imperat. Quibus adductis, eos in fidem recepit. [3] Navibus circiter LXXX onerariis coactis contractisque, quod satis esse ad duas transportandas legiones existimabat, quod praeterea navium longarum habebat, quaestori, legatis praefectisque distribuit. [4] Huc accedebant XVIII onerariae naves, quae ex eo loco ab milibus passuum VIII vento tenebantur quominus in eundem portum venire possent; has equitibus distribuit. [5] Reliquum exercitum Q. Titurio Sabino et L. Aurunculeio Cottae legatis in Menapios atque in eos pagos Morinorum, ab quibus ad eum legati non venerant, ducendum dedit; [6] P. Sulpicium Rufum legatum cum eo praesidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere iussit.

XXIII. [1] His constitutis rebus, nactus idoneam ad navigandum tempestatem, tertia fere vigilia solvit, equitesque in ulteriorem portum progredi et naves conscendere et se sequi iussit. [2] A quibus cum paulo tardius esset administratum, ipse hora circiter diei quarta cum primis navibus Britanniam attigit, atque ibi in omnibus collibus expositas hostium copias armatas conspexit. [3] Cuius loci haec erat natura, atque ita montibus angustis mare continebatur, uti ex locis superioribus in litus telum adigi posset. [4] Hunc ad egrediendum nequaquam idoneum locum arbitratus, dum reliquae naves eo convenirent, ad horam nonam in ancoris exspectavit. [5] Interim legatis tribunisque militum convocatis, et quae

ex Voluseno cognovisset et quae fieri vellet ostendit, monuitque—ut rei militaris ratio, maxime ut maritimae res postularent, ut quae celerem atque instabilem motum haberent—ad nutum et ad tempus omnes res ab eis administrarentur. [6] His dimissis, et ventum et aestum uno tempore nactus secundum, dato signo et sublatis ancoris, circiter milia passuum septem ab eo loco progressus, aperto ac plano litore naves constituit.

XXIV. [1] At barbari, consilio Romanorum cognito, praemisso equitatu et essedariis, quo plerumque genere in proeliis uti consuerunt, reliquis copiis subsecuti, nostros navibus egredi prohibebant. [2] Erat ob has causas summa difficultas, quod naves propter magnitudinem nisi in alto constitui non poterant: militibus autem, ignotis locis, impeditis manibus, magno et gravi armorum onere oppressis, simul et de navibus desiliendum et in fluctibus consistendum et cum hostibus erat pugnandum, [3] cum illi aut ex arido aut paulum in aquam progressi, omnibus membris expeditis, notissimis locis, audacter tela conicerent et equos insuefactos incitarent. [4] Quibus rebus nostri perterriti atque huius omnino generis pugnae imperiti, non eadem alacritate ac studio quo in pedestribus uti proeliis consuerant, utebantur.

XXV. [1] Quod ubi Caesar animadvertit, naves longas, quarum et species erat barbaris inusitatior et motus ad usum expeditior, paulum removeri ab onerariis navibus et remis incitari et ad latus apertum hostium constitui, atque inde fundis, sagittis, tormentis hostes propelli ac submoveri iussit; quae res magno usui nostris fuit. [2] Nam et navium figura et remorum motu et inusitato genere tormentorum permoti, barbari constiterunt ac paulum modo pedem rettulerunt. [3] Atque nostris militibus cunctantibus maxime propter altitudinem maris, qui decimae legionis aquilam ferebat, contestatus deos ut ea res feliciter legioni eveniret, 'Desilite,' inquit, 'milites,

nisi vultis aquilam hostibus prodere; ego certe meum rei publicae atque imperatori officium praestitero.' [4] Hoc cum voce magna dixisset, se ex navi proiecit atque in hostes aquilam ferre coepit. [5] Tum nostri, cohortati inter se ne tantum dedecus admitteretur, universi ex navi desiluerunt. [6] Hos item ex proximis navibus cum conspexissent, subsecuti hostibus appropinquarunt.

XXVI. [1] Pugnatum est ab utrisque acriter. Nostri tamen, quod neque ordines servare neque firmiter insistere neque signa subsequi poterant, atque alius alia ex navi quibuscumque signis occurrerat se aggregabat, magnopere perturbantur; [2] hostes vero, notis omnibus vadis, ubi ex litore aliquos singulares ex navi egredientes conspexerant, incitatis equis, impeditos adoriebantur; [3] plures paucos circumsistebant, alii ab latere aperto in universos tela coniciebant. [4] Quod cum animadvertisset Caesar, scaphas longarum navium, item speculatoria navigia militibus compleri iussit, et quos laborantes conspexerat, his subsidia submittebat. [5] Nostri, simul in arido constiterunt, suis omnibus consecutis, in hostes impetum fecerunt atque eos in fugam dederunt; neque longius prosequi potuerunt, quod equites cursum tenere atque insulam capere non potuerant. Hoc unum ad pristinam fortunam Caesari defuit.

XXVII. [1] Hostes proelio superati, simul atque se ex fuga receperunt, statim ad Caesarem legatos de pace miserunt; obsides daturos quaeque imperasset facturos esse polliciti sunt. [2] Una cum his legatis Commius Atrebas venit, quem supra demonstraveram a Caesare in Britanniam praemissum. [3] Hunc illi e navi egressum, cum ad eos oratoris modo Caesaris mandata deferret, comprehenderant atque in vincula coniecerant; tum, proelio facto, remiserunt. [4] In petenda pace eius rei culpam in multitudinem coniecerunt, et propter imprudentiam ut ignosceretur petiverunt. [5] Caesar questus quod, cum

ultro in continentem legatis missis pacem ab se petissent, bellum sine causa intulissent, ignoscere imprudentiae dixit, obsidesque imperavit; [6] quorum illi partem statim dederunt, partem, ex longinquioribus locis arcessitam, paucis diebus sese daturos dixerunt. [7] Interea suos remigrare in agros iusserunt, principesque undique convenire et se civitatesque suas Caesari commendare coeperunt.

XXVIII. [1] His rebus pace confirmata, post diem quartum quam est in Britanniam ventum, naves XVIII, de quibus supra demonstratum est, quae equites sustulerant, ex superiore portu leni vento solverunt. [2] Quae cum appropinquarent Britanniae et ex castris viderentur, tanta tempestas subito coorta est, ut nulla earum cursum tenere posset, sed aliae eodem unde erant profectae referrentur, aliae ad inferiorem partem insulae, quae est propius solis occasum, magno sui cum periculo deicerentur; [3] quae tamen, ancoris iactis, cum fluctibus complerentur, necessario adversa nocte in altum provectae continentem petierunt.

XXIX. [1] Eadem nocte accidit ut esset luna plena, qui dies maritimos aestus maximos in Oceano efficere consuevit, nostrisque id erat incognitum. [2] Ita uno tempore et longas naves, quibus Caesar exercitum transportandum curaverat quasque in aridum subduxerat, et onerarias, quae ad ancoras erant deligatae, tempestas afflictabat; neque ulla nostris facultas aut administrandi aut auxiliandi dabatur. [3] Compluribus navibus fractis, reliquae cum essent, funibus, ancoris reliquisque armamentis amissis, ad navigandum inutiles, magna, id quod necesse erat accidere, totius exercitus perturbatio facta est. [4] Neque enim naves erant aliae quibus reportari possent, et omnia deerant quae ad reficiendas naves erant usui, et, quod omnibus constabat hiemari in Gallia oportere, frumentum his in locis in hiemem provisum non erat.

XXX. [1] Quibus rebus cognitis, principes Britanniae, qui post proelium ad Caesarem convenerant, inter se collocuti, cum equites et naves et frumentum Romanis deesse intellegerent, et paucitatem militum ex castrorum exiguitate cognoscerent, quae hoc erant etiam angustiora, quod sine impedimentis Caesar legiones transportaverat, [2] optimum factu esse duxerunt, rebellione facta, frumento commeatuque nostros prohibere et rem in hiemem producere, quod, his superatis aut reditu interclusis, neminem postea belli inferendi causa in Britanniam transiturum confidebant. [3] Itaque, rursus coniuratione facta, paulatim ex castris discedere ac suos clam ex agris deducere coeperunt.

XXXI. [1] At Caesar, etsi nondum eorum consilia cognoverat, tamen, et ex eventu navium suarum et ex eo quod obsides dare intermiserant, fore id quod accidit suspicabatur. [2] Itaque ad omnes casus subsidia comparabat; nam et frumentum ex agris cotidie in castra conferebat, et quae gravissime afflictae erant naves, earum materia atque aere ad reliquas reficiendas utebatur, et quae ad eas res erant usui ex continenti comportari iubebat. [3] Itaque, cum summo studio a militibus administraretur, XII navibus amissis, reliquis ut navigari commode posset effecit.

XXXII. [1] Dum ea geruntur, legione ex consuetudine una frumentatum missa, quae appellabatur septima, neque ulla ad id tempus belli suspicione interposita, cum pars hominum in agris remaneret, pars etiam in castra ventitaret, ei, qui pro portis castrorum in statione erant, Caesari nuntiaverunt pulverem maiorem, quam consuetudo ferret, in ea parte videri quam in partem legio iter fecisset. [2] Caesar, id quod erat suspicatus, aliquid novi a barbaris initum consilii, cohortes quae in stationibus erant secum in eam partem proficisci, ex reliquis duas in stationem cohortes succedere, reliquas armari et confestim

sese subsequi iussit. [3] Cum paulo longius a castris processisset, suos ab hostibus premi atque aegre sustinere et conferta legione ex omnibus partibus tela conici animadvertit. [4] Nam quod, omni ex reliquis partibus demesso frumento, pars una erat reliqua, suspicati hostes huc nostros esse venturos, noctu in silvis delituerant; [5] tum dispersos, depositis armis, in metendo occupatos, subito adorti, paucis interfectis, reliquos incertis ordinibus perturbaverant: simul equitatu atque essedis circumdederant.

XXXIII. [1] Genus hoc est ex essedis pugnae. Primo per omnes partes perequitant et tela coniciunt, atque ipso terrore equorum et strepitu rotarum ordines plerumque perturbant, et cum se inter equitum turmas insinuaverunt, ex essedis desiliunt et pedibus proeliantur. [2] Aurigae interim paulatim ex proelio excedunt atque ita currus collocant, ut, si illi a multitudine hostium premantur, expeditum ad suos receptum habeant. [3] Ita mobilitatem equitum, stabilitatem peditum in proeliis praestant, ac tantum usu cotidiano et exercitatione efficiunt, uti in declivi ac praecipiti loco incitatos equos sustinere et brevi moderari ac flectere et per temonem percurrere et in iugo insistere et se inde in currus citissime recipere consuerint.

XXXIV. [1] Quibus rebus perturbatis nostris novitate pugnae, tempore opportunissimo Caesar auxilium tulit; namque eius adventu hostes constiterunt, nostri se ex timore receperunt. [2] Quo facto, ad lacessendum et ad committendum proelium alienum esse tempus arbitratus, suo se loco continuit, et brevi tempore intermisso in castra legiones reduxit. [3] Dum haec geruntur, nostris omnibus occupatis, qui erant in agris reliqui discesserunt. [4] Secutae sunt continuos complures dies tempestates, quae et nostros in castris continerent et hostem a pugna prohiberent. [5] Interim barbari

nuntios in omnes partes dimiserunt paucitatemque nostrorum militum suis praedicaverunt, et quanta praedae faciendae atque in perpetuum sui liberandi facultas daretur, si Romanos castris expulissent, demonstraverunt. [6] His rebus celeriter magna multitudine peditatus equitatusque coacta ad castra venerunt.

XXXV. [1] Caesar, etsi idem quod superioribus diebus acciderat fore videbat, ut, si essent hostes pulsi, celeritate periculum effugerent, tamen nactus equites circiter xxx, quos Commius Atrebas, de quo ante dictum est, secum transportaverat, legiones in acie pro castris constituit. [2] Commisso proelio, diutius nostrorum militum impetum hostes ferre non potuerunt ac terga verterunt. [3] Quos tanto spatio secuti quantum cursu et viribus efficere potuerunt, complures ex eis occiderunt; deinde, omnibus longe lateque aedificiis incensis, se in castra receperunt.

XXXVI. [1] Eodem die legati ab hostibus missi ad Caesarem de pace venerunt. [2] His Caesar numerum obsidum, quem ante imperaverat, duplicavit, eosque in continentem adduci iussit, quod, propinqua die aequinoctii, infirmis navibus, hiemi navigationem subiciendam non existimabat. [3] Ipse, idoneam tempestatem nactus, paulo post mediam noctem naves solvit; [4] quae omnes incolumes ad continentem pervenerunt; sed ex eis onerariae duae eosdem quos reliquae portus capere non potuerunt et paulo infra delatae sunt.

XXIX

THE PROFITS OF CAESAR'S CONQUESTS.

(Cic. *Ad Fam.* vii. 7.)

(*Many Romans expected to make their fortunes out of the new provinces. Among them was the lawyer Trebatius, who*

desired some official appointment, and received a letter of introduction to Caesar from Cicero.)

CICERO TREBATIO.

[1] Ego te commendare non desisto, sed quid proficiam, ex te scire cupio: spem maximam habeo in Balbo, ad quem de te diligentissime et saepissime scribo. Illud soleo mirari, non me toties accipere tuas litteras, quoties a Quinto mihi fratre adferantur. In Britannia nihil esse audio neque auri neque argenti: id si ita est, essedum aliquod capias suadeo et ad nos quam primum recurras. [2] Sin autem sine Britannia adsequi quod volumus possumus, perfice ut sis in familiaribus Caesaris: multum te in eo frater adiuvabit meus, multum Balbus, sed, mihi crede, tuus pudor et labor plurimum. Imperatorem liberalissimum, aetatem opportunissimam, commendationem certe singularem habes, ut tibi unum timendum sit, ne ipse tibi defuisse videare.

XXX

A DESCRIPTION OF CAESAR.

(SUET. *Div. Iul.* 45, 57.)

[45] Fuisse traditur excelsa statura, colore candido, teretibus membris, ore paulo pleniore, nigris vegetisque oculis, valetudine prospera; nisi quod tempore extremo repente animo linqui atque etiam per somnum exterreri solebat. Comitiali quoque morbo bis inter res agendas correptus est. Circa corporis curam morosior, ut non solum tonderetur diligenter ac raderetur, sed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt; calvitii vero deformitatem iniquissime ferret, saepe obtrectatorum iocis obnoxiam expertus. Ideoque et deficientem capillum revocare a vertice adsueverat, et ex omnibus decretis sibi a senatu

populoque honoribus non aliud aut recepit aut usurpavit libentius quam ius laureae coronae perpetuo gestandae.

[57] Armorum et equitandi peritissimus, laboris ultra fidem patiens erat. In agmine non nunquam equo, saepius pedibus anteibat, capite detecto, seu sol seu imber esset; longissimas vias incredibili celeritate confecit, expeditus, meritoria raeda, centena passuum milia in singulos dies; si flumina morarentur, nando traiciens vel innixus inflatis utribus, ut persaepe nuntios de se praevenerit. [58] In obeundis expeditionibus dubium cautior an audentior, exercitum neque per insidiosa itinera duxit umquam nisi perspeculatus locorum situs, neque in Britanniam transvexit, nisi ante per se portus et navigationem et accessum ad insulam explorasset. At idem, obsessione castrorum in Germania nuntiata, Gallico habitu penetravit ad suos. A Brundisio Dyrrachium inter oppositas classes hieme transmisit, cessantibusque copiis, quas subsequi iusserat, cum ad accersendas frustra saepe misisset, novissime ipse clam noctu parvulum navigium solus obvoluto capite conscendit, neque ante quis esset detexit aut gubernatorem cedere adversae tempestati passus est, quam paene obrutus fluctibus. [59] Ne religione quidem ulla a quoquam incepto absterritus umquam vel retardatus est. Cum immolanti aufugisset hostia, profectionem adversus Scipionem et Iubam non distulit. Prolapsus etiam in egressu navis, verso ad melius omine, 'Teneo te,' inquit, 'Africa.'

XXXI

THE TALE OF ARION AND THE DOLPHIN.

(Ovid, *Fasti*, ii. 83.)

Quod mare non novit, quae nescit Ariona tellus
Carmine currentes ille tenebat aquas.

Saepe, sequens agnam, lupus est hac voce retentus:
  Saepe avidum fugiens restitit agna lupum:
Saepe canes leporesque umbra cubuere sub una,
  Et stetit infestae proxima cerva leae.
Et sine lite loquax cum Palladis alite cornix
  Sedit, et accipitri iuncta columba fuit.
Cynthia saepe tuis fertur, vocalis Arion,
  Tamquam fraternis obstupuisse modis.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes,
  Captaque erat lyricis Ausonis ora sonis.
Inde domum repetens puppim conscendit Arion,
  Atque ita quaesitas arte ferebat opes.
Forsitan, infelix, ventos undamque timebas;
  At tibi nave tua tutius aequor erat.
Namque gubernator destricto constitit ense,
  Ceteraque armata conscia turba manu.
Quid tibi cum gladio? Dubiam rege, navita, pinum:
  Non sunt haec digitis arma tenenda tuis.
Ille metu vacuus, 'Mortem non deprecor,' inquit,
  'Sed liceat sumpta pauca referre lyra.'
Dant veniam, ridentque moram: capit ille coronam
  Quae possit crines, Phoebe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam;
  Reddidit icta suos pollice chorda sonos,
Flebilibus numeris veluti canentia dura
  Traiectus pinna tempora cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas;
  Spargitur impulsa caerula puppis aqua.
Inde—fide maius!—tergo delphina recurvo
  Se memorant oneri supposuisse novo.
Ille sedens citharamque tenet, pretiumque vehendi
  Cantat, et aequoreas carmine mulcet aquas.
Di pia facta vident: astris delphina recepit
  Iuppiter, et stellas iussit habere novem.

XXXII

THE PUNISHMENT OF RUDENESS.

(Ovid, *Met.* v. 438.)

(The two following tales are taken from the Metamorphoses of Ovid, in which the poet relates all the miraculous changes of form which he can find in the ancient mythology. The first tells of an incident which befell Ceres in the course of her search for her daughter Persephone.)

Interea pavidae nequiquam filia matri
Omnibus est terris, omni quaesita profundo.
Illam non udis veniens Aurora capillis
Cessantem vidit, non Hesperus. Illa duabus
Flammiferas pinus manibus succendit ab Aetna
Perque pruinosas tulit inrequieta tenebras:
Rursus ubi alma dies hebetarat sidera, natam
Solis ab occasu solis quaerebat ad ortus.
Fessa labore sitim collegerat, oraque nulli
Colluerant fontes: cum tectam stramine vidit
Forte casam, parvasque fores pulsavit. At inde
Prodit anus, divamque videt, lymphamque roganti
Dulce dedit, tosta quod texerat ante polenta.
Dum bibit illa datam, duri puer oris et audax
Constitit ante deam, risitque, avidamque vocavit.
Offensa est, neque adhuc epota parte loquentem
Cum liquido mixta perfudit diva polenta.
Combibit os maculas, et quae modo bracchia gessit,
Crura gerit; cauda est mutatis addita membris;
Inque brevem formam, ne sit vis magna nocendi,
Contrahitur, parvaque minor mensura lacerta est.
Mirantem flentemque et tangere monstra parantem
Fugit anum, latebramque petit; aptumque pudori
Nomen habet, variis stellatus corpora guttis.

24. *v.l.* stillatus: *but compare* stellio.

XXXIII

THE PUNISHMENT OF CHURLISHNESS.

(Ovid, *Met.* vi. 343.)

(*The goddess Latona, wandering with her two babes, Apollo and Diana, is overcome with thirst.*)

Forte lacum mediocris aquae prospexit in imis
Vallibus: agrestes illic fruticosa legebant
Vimina cum iuncis gratamque paludibus ulvam.
Accessit, positoque genu Titania terram
Pressit, ut hauriret gelidos potura liquores.
Rustica turba vetant. Dea sic adfata vetantes:
'Quid prohibetis aquis? usus communis aquarum est.
Nec solem proprium natura nec aëra fecit
Nec tenues undas: ad publica munera veni,
Quae tamen ut detis, supplex peto. Non ego nostros
Abluere hic artus lassataque membra parabam,
Sed relevare sitim. Caret os umore loquentis
Et fauces arent, vixque est via vocis in illis.
Haustus aquae mihi nectar erit, vitamque fatebor
Accepisse simul: vitam dederitis in unda.
Hi quoque vos moveant, qui nostro bracchia tendunt
Parva sinu,' et casu tendebant bracchia nati.
Quem non blanda deae potuissent verba movere?
Hi tamen orantem perstant prohibere, minasque
Ni procul abscedat, conviciaque insuper addunt.
Nec satis est; ipsos etiam pedibusque manuque
Turbavere lacus, imoque e gurgite mollem
Huc illuc limum saltu movere maligno.
Distulit ira sitim: neque enim iam filia Coei
Supplicat indignis, nec dicere sustinet ultra
Verba minora dea; tollensque ad sidera palmas
'Aeternum stagno,' dixit, 'vivatis in isto.'
Eveniunt optata deae. Iuvat esse sub undis,

Et modo tota cava submergere membra palude,
Nunc proferre caput; summo modo gurgite nare,
Saepe super ripam stagni consistere, saepe
In gelidos resilire lacus. Sed nunc quoque turpes
Litibus exercent linguas, pulsoque pudore,
Quamvis sint sub aqua, sub aqua maledicere temptant.
Vox quoque iam rauca est, inflataque colla tumescunt,
Ipsaque dilatant patulos convicia rictus.
Terga caput tangunt, colla intercepta videntur:
Spina viret; venter, pars maxima corporis, albet:
Limosoque novae saliunt in gurgite ranae.

XXXIV

DISTANCE NO OBJECT.

(Mart. ii. 5.)

Ne valeam, si non totis, Deciane, diebus
  Et tecum totis noctibus esse velim.
Sed duo sunt quae nos disiungunt milia passum:
  Quattuor haec fiunt, cum rediturus eam.
Saepe domi non es: cum sis quoque, saepe negaris:
  Vel tantum causis vel tibi saepe vacas.
Te tamen ut videam, duo milia non piget ire:
  Ut te non videam, quattuor ire piget.

XXXV

WORDS OF PARTING.

(Catullus, ci.)

Multas per gentes et multa per aequora vectus
  Advenio has miseras, frater, ad inferias,
Ut te postremo donarem munere mortis
  Et mutam nequiquam adloquerer cinerem,
Quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum,
  Heu, miser indigne frater adempte mihi.

Nunc tamen interea haec prisco quae more parentum
Tradita sunt tristes munera ad inferias,
Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atque in perpetuum, frater, ave atque vale.

XXXVI

A ROMAN FACTION FIGHT.

(Cic. *Pro Mil.* 24.)

(*In the last few years of the Roman Republic, before Julius Caesar established a new form of government, the elections were frequently interrupted by riots. Both the senatorial party and the democrats made use of organized bands of gladiators to keep their opponents in check, the most conspicuous leaders being Milo on the former side and Clodius on the latter. Eventually these two leaders came into collision, with the result that Clodius was killed. Milo was tried for murder, and the following narrative is an extract from the speech which Cicero composed in his defence.*)

[24] P. Clodius cum statuisset omni scelere in praetura vexare rem publicam, videretque ita tracta esse comitia anno superiore ut non multos menses praeturam gerere posset, qui non honoris gradum spectaret, ut ceteri, sed et L. Paulum collegam effugere vellet, singulari virtute civem, et annum integrum ad dilacerandam rem publicam quaereret, subito reliquit annum suum, seseque in proximum annum transtulit, non, ut fit, religione aliqua, sed ut haberet, quod ipse dicebat, ad praeturam gerendam, hoc est, ad evertendam rem publicam, plenum annum atque integrum. [25] Occurrebat ei mancam ac debilem praeturam futuram suam consule Milone; eum porro summo consensu populi Romani consulem fieri videbat. Contulit se ad eius competitores, sed ita totam ut petitionem ipse solus etiam invitis illis gubernaret, tota ut comitia suis, ut dictitabat, umeris sustineret. Convocabat

tribus, se interponebat, Collinam novam dilectu perditissimorum civium conscribebat. Quanto ille plura miscebat, tanto hic magis in dies convalescebat. Ubi vidit homo ad omne facinus paratissimus fortissimum virum, inimicissimum suum, certissimum consulem, idque intellexit non solum sermonibus, sed etiam suffragiis populi Romani saepe esse declaratum, palam agere coepit et aperte dicere occidendum Milonem. [26] Servos agrestes et barbaros, quibus silvas publicas depopulatus erat Etruriamque vexarat, ex Appennino deduxerat, quos videbatis. Res erat minime obscura; etenim dictitabat palam consulatum eripi Miloni non posse, vitam posse. Significavit hoc saepe in senatu, dixit in contione, quin etiam Favonio, fortissimo viro, quaerenti ex eo, qua spe fureret Milone vivo, respondit triduo illum aut summum quadriduo esse periturum; quam vocem eius ad hunc M. Catonem statim Favonius detulit. [27] Interim cum sciret Clodius, neque enim erat difficile scire, iter sollemne, legitimum, necessarium ante diem XIII Kalendas Februarias Miloni esse Lanuvium ad flaminem prodendum, quod erat dictator Lanuvii Milo, Roma subito ipse profectus pridie est, ut ante suum fundum, quod re intellectum est, Miloni insidias collocaret; atque ita profectus est, ut contionem turbulentam, in qua eius furor desideratus est, quae illo ipso die habita est, relinqueret, quam, nisi obire facinoris locum tempusque voluisset, numquam reliquisset. [28] Milo autem cum in senatu fuisset eo die, quoad senatus est dimissus, domum venit; calceos et vestimenta mutavit; paulisper, dum se uxor, ut fit, comparat, commoratus est, dein profectus id temporis, cum iam Clodius, si quidem eo die Romam venturus erat, redire potuisset. Obviam fit ei Clodius expeditus, in equo, nulla raeda, nullis impedimentis, nullis Graecis comitibus, ut solebat, sine uxore, quod numquam fere, cum hic insidiator, qui iter illud ad caedem faciendam apparasset, cum uxore

veheretur in raeda paenulatus, magno et impedito et muliebri ac delicato ancillarum puerorumque comitatu. [29] Fit obviam Clodio ante fundum eius hora fere undecima aut non multo secus. Statim complures cum telis in hunc faciunt de loco superiore impetum adversi, raedarium occidunt. Cum autem hic de raeda reiecta paenula desiluisset seque acri animo defenderet, illi qui erant cum Clodio, gladiis eductis, partim recurrere ad raedam, ut a tergo Milonem adorirentur, partim, quod hunc iam interfectum putarent, caedere incipiunt eius servos, qui post erant; ex quibus qui animo fideli in dominum et praesenti fuerunt, partim occisi sunt, partim, cum ad raedam pugnari viderent, domino succurrere prohiberentur, Milonem occisum et ex ipso Clodio audirent et re vera putarent, fecerunt id servi Milonis (dicam enim aperte non derivandi criminis causa, sed ut factum est) nec imperante nec sciente nec praesente domino, quod suos quisque servos in tali re facere voluisset.

XXXVII

THE TALE OF CERES AND PERSEPHONE.

(Ovid, *Fasti*, iv. 419.)

(*Ceres is the goddess of the harvest, and Persephone is the green life of the Spring, which for six months of the year is not to be seen above ground. This tale about them is one of the most beautiful of the fairy-tales of Nature.*)

Terra tribus scopulis vastum procurrit in aequor
Trinacris, a positu nomen adepta loci:
Grata domus Cereri. Multas ea possidet urbes,
In quibus est culto fertilis Henna solo.
Frigida caelestum matres Arethusa vocarat:
Venerat ad sacras et dea flava dapes.

Filia, consuetis, ut erat, comitata puellis,
  Errabat nudo per sua prata pede.
Valle sub umbrosa locus est aspergine multa
  Uvidus ex alto desilientis aquae.
Tot fuerant illic, quot habet natura, colores,
  Pictaque dissimili flore nitebat humus.
Quam simul aspexit, 'Comites, accedite!' dixit,
  'Et mecum plenos flore referte sinus!'
Praeda puellares animos prolectat inanis,
  Et non sentitur sedulitate labor.
Haec implet lento calathos e vimine nexos,
  Haec gremium; laxos degravat illa sinus;
Illa legit calthas; huic sunt violaria curae;
  Illa papavereas subsecat ungue comas;
Has, hyacinthe, tenes; illas, amarante, moraris;
  Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amant.
Plurima lecta rosa est. Sunt et sine nomine flores.
  Ipsa crocos tenues liliaque alba legit.
Carpendi studio paulatim longius itur,
  Et dominam casu nulla secuta comes.
Hanc videt et visam patruus velociter aufert,
  Regnaque caeruleis in sua portat equis.
Illa quidem clamabat, 'Io carissima mater,
  Auferor!' ipsa suos absciderat que sinus.
Panditur interea Diti via; namque diurnum
  Lumen inadsueti vix patiuntur equi.
At chorus aequalis, cumulatae flore ministrae,
  'Persephone,' clamant, 'ad tua dona veni!'
Ut clamata silet, montes ululatibus implent,
  Et feriunt maestae pectora nuda manus.
Attonita est plangore Ceres—modo venerat Hennam—
  Nec mora; 'Me miseram! filia,' dixit, 'ubi es?'
Mentis inops rapitur, quales audire solemus
  Threïcias fusis Maenadas ire comis.
Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto,

Et quaerit fetus per nemus omne suos:
Sic dea nec retinet gemitus, et concita cursu
Fertur, et e campis incipit, Henna, tuis.
Inde puellaris nacta est vestigia plantae,
Et pressam noto pondere vidit humum.
Forsitan illa dies erroris summa fuisset,
Si non turbassent signa reperta sues.

. . . .

Iamque Peloriaden Lilybaeaque, iamque Pachynon
Lustrarat, terrae cornua trina suae.
Quacumque ingreditur, miseris loca cuncta querelis
Implet, ut amissum cum gemit ales Ityn.
Perque vices modo 'Persephone', modo 'Filia!' clamat,
Clamat, et alternis nomen utrumque ciet.
Sed neque Persephone Cererem, nec filia matrem
Audit, et alternis nomen utrumque perit.
Unaque, pastorem vidisset an arva colentem,
Vox erat, 'Hac gressus ecqua puella tulit?'
Iam color unus inest rebus, tenebrisque teguntur
Omnia: iam vigiles conticuere canes.
Alta iacet vasti super ora Typhoëos Aetne,
Cuius anhelatis ignibus ardet humus.
Illic accendit geminas pro lampade pinus—
Hinc Cereris sacris nunc quoque taeda datur.
Est specus exesi structura pumicis asper,
Non homini regio, non adeunda ferae:
Quo simul ac venit, frenatos curribus angues
Iungit, et aequoreas sicca pererrat aquas.
Effugit et Syrtes et te, Zanclaea Charybdis,
Et vos, Nisaei, naufraga monstra, canes,
Hadriacumque patens late, bimaremque Corinthon.
Sic venit ad portus, Attica terra, tuos.
Hic primum sedit gelido maestissima saxo.
Illud Cecropidae nunc quoque 'Triste' vocant.

Sub Iove duravit multis immota diebus
  Et lunae patiens et pluvialis aquae.
Fors sua cuique loco est. Quo nunc Cerealis Eleusin,
  Dicitur hoc Celei rura fuisse senis.
Ille domum glandes excussaque mora rubetis
  Portat, et arsuris arida ligna focis.
Filia parva duas redigebat rupe capellas,
  Et tener in cunis filius aeger erat.
'Mater!' ait virgo—mota est dea nomine matris—
  'Quid facis in solis incomitata locis?'
Restitit et senior, quamvis onus urget, et orat
  Tecta suae subeat quantulacumque casae.
Illa negat: simularat anum, mitraque capillos
  Presserat. Instanti talia dicta refert:
'Sospes eas, semperque parens! mihi filia rapta est.
  Heu! melior quanto sors tua sorte mea est.'
Dixit, et, ut lacrimae—neque enim lacrimare deorum est—
  Decidit in tepidos lucida gutta sinus.
Flent pariter molles animis virgoque senexque:
  E quibus haec iusti verba fuere senis:
'Sic tibi, quam raptam quereris, sit filia sospes,
  Surge, nec exiguae despice tecta casae.'
Cui dea 'Duc!' inquit: 'scisti qua cogere posses,'
  Seque levat saxo, subsequiturque senem.
Dux comiti narrat, quam sit sibi filius aeger,
  Nec capiat somnos invigiletque malis.
Illa soporiferum, parvos initura penates,
  Colligit agresti lene papaver humo.
Dum legit, oblito fertur gustasse palato,
  Longamque imprudens exsoluisse famem.
Quae quia principio posuit ieiunia noctis,
  Tempus habent mystae sidera visa cibi.
Limen ut intravit, luctus videt omnia plena:
  Iam spes in puero nulla salutis erat.

Matre salutata—mater Metanira vocatur—
  Iungere dignata est os puerile suo.
Pallor abit, subitasque vident in corpore vires.
  Tantus caelesti venit ab ore vigor.
Tota domus laeta est; hoc est, materque paterque
  Nataque; tres illi tota fuere domus.
Mox epulas ponunt, liquefacta coagula lacte
  Pomaque et in ceris aurea mella suis.
Abstinet alma Ceres, somnique papavera causas
  Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer.
Noctis erat medium placidique silentia somni:
  Triptolemum gremio sustulit illa suo,
Terque manu permulsit eum, tria carmina dixit,
  Carmina mortali non referenda sono,
Inque foco corpus pueri vivente favilla
  Obruit, humanum purget ut ignis onus.
Excutitur somno stulte pia mater, et amens
  'Quid facis?' exclamat, membraque ab igne rapit.
Cui dea 'Dum non es', dixit, 'scelerata fuisti;
  Inrita materno sunt mea dona metu.
Iste quidem mortalis erit. Sed primus arabit
  Et seret et culta praemia tollet humo.'
Dixit, et egrediens nubem trahit, inque dracones
  Transit, et aligero tollitur axe Ceres.
Sunion expositum Piraeaque tuta recessu
  Linquit, et in dextrum quae iacet ora latus.
Hinc init Aegaeum, quo Cycladas aspicit omnes,
  Ioniumque rapax Icariumque legit:
Perque urbes Asiae longum petit Hellespontum,
  Diversumque locis alta pererrat iter.
Nam modo turilegos Arabas, modo despicit Indos,
  Hinc Libys, hinc Meroë siccaque terra subest:
Nunc adit Hesperios, Rhenum Rhodanumque Padumque,
  Teque future parens, Thybri, potentis aquae.
Quo feror? immensum est erratas dicere terras.

Praeteritus Cereri nullus in orbe locus.
Errat et in caelo, liquidique immunia ponti
Adloquitur gelido proxima signa polo.
'Parrhasides stellae,—namque omnia nosse potestis,
Aequoreas numquam cum subeatis aquas—
Persephonen natam miserae monstrate parenti!'
Dixerat. Huic Helice talia verba refert:
'Crimine nox vacua est. Solem de virgine rapta
Consule, qui late facta diurna videt.'
Sol aditus 'Quam quaeris', ait, 'ne vana labores,
Nupta Iovis fratri tertia regna tenet.'
Questa diu secum sic est adfata Tonantem,
Maximaque in voltu signa dolentis erant:
'Si memor es, de quo mihi sit Proserpina nata,
Dimidium curae debet habere tuae.
Orbe pererrato sola est iniuria facti
Cognita. Commissi praemia raptor habet.
At neque Persephone digna est praedone marito,
Nec gener hoc nobis more parandus erat.
Quid gravius, victore Gye, captiva tulissem,
Quam nunc, te caeli sceptra tenente, tuli?
Verum impune ferat; nos haec patiemur inultae:
Reddat, et emendet facta priora novis.'
Iuppiter hanc lenit, factumque excusat amore,
'Nec gener est nobis ille pudendus' ait.
'Non ego nobilior. Posita est mihi regia caelo:
Possidet alter aquas, alter inane Chaos.
Sed si forte tibi non est mutabile pectus,
Statque semel iuncti rumpere vincla tori,
Hoc quoque tentemus, siquidem ieiuna remansit:
Si minus, inferni coniugis uxor erit.'
Tartara iussus adit sumptis caducifer alis,
Speque redit citius visaque certa refert.
'Rapta tribus,' dixit, 'solvit ieiunia granis,
Punica quae lento cortice poma tegunt.'

Haud secus indoluit, quam si modo rapta fuisset,
Maesta parens, longa vixque refecta mora est.
Atque ita 'Nec nobis caelum est habitabile' dixit:
'Taenaria recipi me quoque valle iube.'
Et factura fuit, pactus nisi Iuppiter esset,
Bis tribus ut caelo mensibus illa foret.
Tum demum voltumque Ceres animumque recepit,
Imposuitque suae spicea serta comae:
Largaque provenit cessatis messis in arvis,
Et vix congestas area cepit opes.

XXXVIII

HEAVEN GUARDS THE VIRTUOUS.

(Hor. *Carm.* i. 22.)

Integer vitae scelerisque purus
Non eget Mauris iaculis nec arcu
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra,
Sive per Syrtes iter aestuosas
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum vel quae loca fabulosus
Lambit Hydaspes.
Namque me silva lupus in Sabina,
Dum meam canto Lalagen et ultra
Terminum curis vagor expeditis,
Fugit inermem.
Quale portentum neque militaris
Daunias latis alit aesculetis,
Nec Iubae tellus generat, leonum
Arida nutrix.
Pone me, pigris ubi nulla campis
Arbor aestiva recreatur aura,
Quod latus mundi nebulae malusque
Iuppiter urget:

Pone sub curru nimium propinqui
Solis in terra domibus negata:
Dulce ridentem Lalagen amabo,
    Dulce loquentem.

XXXIX

THE TALE OF THE HORATII AND THE CURIATII.

(Livy, i. 22.)

XXII. [1] Numae morte ad interregnum res rediit. Inde Tullum Hostilium, nepotem Hostilii, cuius in infima arce clara pugna adversus Sabinos fuerat, regem populus iussit: patres auctores facti. [2] Hic non solum proximo regi dissimilis sed ferocior etiam quam Romulus fuit. Cum aetas viresque tum avita quoque gloria animum stimulabat. Senescere igitur civitatem otio ratus, undique materiam excitandi belli quaerebat. [3] Forte evenit ut agrestes Romani ex Albano agro, Albani ex Romano praedas in vicem agerent. [4] Imperitabat tum Gaius Cluilius Albae. Utrimque legati fere sub idem tempus ad res repetendas missi. Tullus praeceperat suis, ne quid prius quam mandata agerent. Satis sciebat negaturum Albanum: ita pie bellum indici posse. [5] Ab Albanis socordius res acta: excepti hospitio ab Tullo blande ac benigne comi fronte regis convivium celebrant. Tantisper Romani et res repetiverant priores et neganti Albano bellum in tricesimum diem indixerant. [6] Haec renuntiant Tullo. Tum legatis Tullus dicendi potestatem, quid petentes venerint, facit Illi omnium ignari primum purgando terunt tempus: se invitos quidquam, quod minus placeat Tullo, dicturos, sed imperio subigi: res repetitum se venisse; ni reddantur, bellum indicere iussos. [7] Ad haec Tullus, 'Nuntiate,' inquit, 'regi vestro, regem

Romanum deos facere testes, uter prius populus res repetentes legatos aspernatus dimiserit, ut in eum omnes expetant huiusce clades belli.'

XXIII. [1] Haec nuntiant domum Albani. Et bellum utrimque summa ope parabatur, civili simillimum bello, prope inter parentes natosque, Troianam utramque prolem, cum Lavinium ab Troia, ab Lavinio Alba, ab Albanorum stirpe regum oriundi Romani essent. [2] Eventus tamen belli minus miserabilem dimicationem fecit, quod nec acie certatum est, et tectis modo dirutis alterius urbis duo populi in unum confusi sunt. . . .

XXIV. [1] Forte in duobus tum exercitibus erant trigemini fratres nec aetate nec viribus dispares. Horatios Curiatiosque fuisse satis constat, nec ferme res antiqua alia est nobilior. Tamen in re tam clara nominum error manet, utrius populi Horatii, utrius Curiatii fuerint. Auctores utroque trahunt; plures tamen invenio, qui Romanos Horatios vocent; hos ut sequar, inclinat animus. [2] Cum trigeminis agunt reges, ut pro sua quisque patria dimicent ferro: ibi imperium fore, unde victoria fuerit. Nihil recusatur. Tempus et locus convenit. [3] Prius quam dimicarent, foedus ictum inter Romanos et Albanos est his legibus, ut cuius populi cives eo certamine vicissent, is alteri populo cum bona pace imperitaret. . . .

XXV. [1] Foedere icto trigemini sicut convenerat arma capiunt. Armati, cum sui utrosque adhortarentur, deos patrios patriam ac parentes, quidquid civium domi, quidquid in exercitu sit, illorum tunc arma, illorum intueri manus, feroces et suopte ingenio et pleni adhortantium vocibus in medium inter duas acies procedunt. [2] Consederant utrimque pro castris duo exercitus periculi magis praesentis quam curae expertes: quippe imperium agebatur in tam paucorum virtute atque fortuna positum. Itaque ergo erecti suspensique in minime gratum spec-

taculum animo incenduntur. [3] Datur signum, infestisque armis, velut acies, terni iuvenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt. Nec his nec illis periculum suum, publicum imperium servitiumque obversabatur animo, futuraque ea deinde patriae fortuna, quam ipsi fecissent. [4] Ut primo statim concursu increpuere arma micantesque fulsere gladii, horror ingens spectantes perstringit, et neutro inclinata spe torpebat vox spiritusque. [5] Consertis deinde manibus cum iam non motus tantum corporum agitatioque anceps telorum armorumque, sed vulnera quoque et sanguis spectaculo essent, duo Romani super alium alius vulneratis tribus Albanis exspirantes corruerunt. [6] Ad quorum casum cum conclamasset gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones iam spes tota, nondum tamen cura deseruerat, exanimes vice unius, quem tres Curiatii circumsteterant. [7] Forte is integer fuit, ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox. Ergo ut segregaret pugnam eorum, capessit fugam, ita ratus secuturos, ut quemque vulnere adfectum corpus sineret. [8] Iam aliquantum spatii ex eo loco, ubi pugnatum est, aufugerat, cum respiciens videt magnis intervallis sequentes, unum haud procul ab sese abesse. In eum magno impetu rediit; [9] et dum Albanus exercitus inclamat Curiatiis, uti opem ferant fratri, iam Horatius caeso hoste victor secundam pugnam petebat. Tunc clamore, qualis ex insperato faventium solet, Romani adiuvant militem suum, et ille defungi proelio festinat. [10] Prius itaque quam alter, qui nec procul aberat, consequi posset, et alterum Curiatium conficit. [11] Iamque aequato Marte singuli supererant, sed nec spe nec viribus pares. Alterum intactum ferro corpus et geminata victoria ferocem in certamen tertium dabat, alter fessum vulnere, fessum cursu trahens corpus, victusque fratrum ante se strage victori obicitur hosti. [12] Nec illud proelium fuit.

Romanus exsultans, 'Duos,' inquit, 'fratrum Manibus dedi, tertium causae belli huiusce, ut Romanus Albano imperet, dabo.' Male sustinenti arma gladium superne iugulo defigit, iacentem spoliat. [13] Romani ovantes ac gratulantes Horatium accipiunt eo maiore cum gaudio, quo prope metum res fuerat. Ad sepulturam inde suorum nequaquam paribus animis vertuntur, quippe imperio alteri aucti, alteri dicionis alienae facti. [14] Sepulchra exstant quo quisque loco cecidit, duo Romana uno loco propius Albam, tria Albana Romam versus, sed distantia locis, ut et pugnatum est.

XXVI. [1] Prius quam inde digrederentur, roganti Mettio, ex foedere icto quid imperaret, imperat Tullus, uti iuventutem in armis habeat, usurum se eorum opera, si bellum cum Veientibus foret. Ita exercitus inde domos abducti.

[2] Princeps Horatius ibat trigemina spolia prae se gerens. Cui soror virgo, quae desponsa uni ex Curiatiis fuerat, obvia ante portam Capenam fuit; cognitoque super umeros fratris paludamento sponsi, quod ipsa confecerat, solvit crines et flebiliter nomine sponsum mortuum appellat. [3] Movet feroci iuveni animum comploratio sororis in victoria sua tantoque gaudio publico. Stricto itaque gladio simul verbis increpans transfigit puellam. [4] 'Abi hinc cum immaturo amore ad sponsum,' inquit, 'oblita fratrum mortuorum vivique, oblita patriae. Sic eat quaecumque Romana lugebit hostem.' [5] Atrox visum id facinus patribus plebique, sed recens meritum facto obstabat. Tamen raptus in ius ad regem. Rex, ne ipse tam tristis ingratique ad vulgus iudicii ac secundum iudicium supplicii auctor esset, concilio populi advocato, 'Duumviros,' inquit, 'qui Horatio perduellionem iudicent secundum legem facio.' [6] Lex horrendi carminis erat: 'Duumviri perduellionem iudicent. Si a duumviris provocarit, provocatione certato. Si vincent, caput obnubito,

infelici arbori reste suspendito, verberato vel intra pomerium vel extra pomerium.' [7] Hac lege duumviri creati, qui se absolvere non rebantur ea lege ne innoxium quidem posse, cum condemnassent, tum alter ex his, 'Publi Horati, tibi perduellionem iudico,' inquit. 'Lictor, conliga manus.' [8] Accesserat lictor iniciebatque laqueum. Tum Horatius auctore Tullo, clemente legis interprete, 'Provoco,' inquit. Ita provocatione certatum ad populum est. [9] Moti homines sunt in eo iudicio maxime Publio Horatio patre proclamante, se filiam iure caesam iudicare; ni ita esset, patrio iure in filium animadversurum fuisse. Orabat deinde, ne se, quem paulo ante cum egregia stirpe conspexissent, orbum liberis facerent. [10] Inter haec senex iuvenem amplexus, spolia Curiatiorum fixa eo loco, qui nunc Pila Horatia appellatur, ostentans, 'Huncine,' aiebat, 'quem modo decoratum ovantemque victoria incedentem vidistis, Quirites, eum sub furca vinctum inter verbera et cruciatus videre potestis, quod vix Albanorum oculi tam deforme spectaculum ferre possent? [11] I, lictor, conliga manus, quae paulo ante armatae imperium populo Romano pepererunt. I, caput obnube liberatoris urbis huius; arbore infelici suspende, verbera vel intra pomerium, modo inter illa pila et spolia hostium, vel extra pomerium, modo inter sepulchra Curiatiorum. Quo enim ducere hunc iuvenem potestis, ubi non sua decora eum a tanta foeditate supplicii vindicent?' [12] Non tulit populus nec patris lacrimas nec ipsius parem in omni periculo animum; absolveruntque admiratione magis virtutis quam iure causae. Itaque, ut caedes manifesta aliquo tamen piaculo lueretur, imperatum patri, ut filium expiaret pecunia publica. [13] Is quibusdam piacularibus sacrificiis factis, quae deinde genti Horatiae tradita sunt, transmisso per viam tigillo capite adoperto velut sub iugum misit iuvenem. Id hodie quoque publice semper refectum manet; sororium tigillum vocant. [14] Horatiae

sepulchrum, quo loco corruerat icta, constructum est saxo quadrato.

XL

THE DEAD PARROT.

(Ovid, *Am.* ii. 6.)

Psittacus, Eois imitatrix ales ab Indis,
  Occidit: exsequias ite frequenter, aves.
Ite, piae volucres, et plangite pectora pinnis
  Et rigido teneras ungue notate genas.
Horrida pro maestis lanietur pluma capillis,
  Pro longa resonent carmina vestra tuba.
Quod scelus Ismarii quereris, Philomela, tyranni,
  Expleta est annis ista querela suis;
Alitis in rarae miserum devertere funus:
  Magna, sed antiqua est causa doloris Itys.
Omnes, quae liquido libratis in aëre cursus,
  Tu tamen ante alios, turtur amice, dole.
Plena fuit vobis omni concordia vita,
  Et stetit ad finem longa tenaxque fides.
Quod fuit Argolico iuvenis Phoceus Orestae,
  Hoc tibi, dum licuit, psittace, turtur erat.
Quid tamen ista fides, quid rari forma coloris,
  Quid vox mutandis ingeniosa sonis,
Quid iuvat, ut datus es, nostrae placuisse puellae?
  Infelix avium gloria, nempe iaces.
Tu poteras fragiles pinnis hebetare zmaragdos,
  Tincta gerens rubro Punica rostra croco.
Non fuit in terris vocum simulantior ales:
  Reddebas blaeso tam bene verba sono.
Raptus es invidia: non tu fera bella movebas;
  Garrulus et placidae pacis amator eras.
Ecce, coturnices inter sua proelia vivunt,
  Forsitan et fiant inde frequenter anus.

Plenus eras minimo, nec prae sermonis amore
  In multos poteras ora vacare cibos;
Nux erat esca tibi causaeque papavera somni,
  Pellebatque sitim simplicis umor aquae.
Vivit edax vultur ducensque per aëra gyros
  Miluus et pluviae graculus auctor aquae.
Vivit et armiferae cornix invisa Minervae,
  Illa quidem saeclis vix moritura novem:
Occidit illa loquax humanae vocis imago,
  Psittacus, extremo munus ab orbe datum.
Optima prima fere manibus rapiuntur avaris,
  Implentur numeris deteriora suis.
Tristia Phylacidae Thersites funera vidit,
  Iamque cinis vivis fratribus Hector erat.
Quid referam timidae pro te pia vota puellae,
  Vota procelloso per mare rapta Noto?
Septima lux aderat, non exhibitura sequentem,
  Et stabat vacuo iam tibi Parca colo.
Nec tamen ignavo stupuerunt verba palato:
  Clamavit moriens lingua 'Corinna, vale'.
Colle sub Elysio nigra nemus ilice frondet,
  Udaque perpetuo gramine terra viret.
Siqua fides dubiis, volucrum locus ille piarum
  Dicitur, obscenae quo prohibentur aves.
Illic innocui late pascuntur olores
  Et vivax phoenix, unica semper avis;
Explicat ipsa suas ales Iunonia pinnas,
  Oscula dat cupido blanda columba mari.
Psittacus has inter nemorali sede receptus
  Convertit volucres in sua verba pias.
Ossa tegit tumulus, tumulus pro corpore magnus,
  Quo lapis exiguus par sibi carmen habet:
'Colligor ex ipso dominae placuisse sepulchro;
  Ora fuere mihi plus ave docta loqui.'

XLI

AN ATTACK ON A ROMAN CAMP.

(Caes. *B. G.* vi. 35.)

(*While Caesar with the greater part of the army is plundering the country of the Eburones, his camp, left in charge of Quintus Cicero, is attacked by Germans.*)

XXXV. [1] Haec in omnibus Eburonum partibus gerebantur, diesque appetebat septimus, quem ad diem Caesar ad impedimenta legionemque reverti constituerat. [2] Hic, quantum in bello fortuna possit et quantos adferat casus, cognosci potuit. [3] Dissipatis ac perterritis hostibus, ut demonstravimus, manus erat nulla quae parvam modo causam timoris adferret. [4] Trans Rhenum ad Germanos pervenit fama diripi Eburones atque ultro omnes ad praedam evocari. [5] Cogunt equitum duo milia Sugambri, qui sunt proximi Rheno, a quibus receptos ex fuga Tencteros atque Usipetes supra docuimus. [6] Transeunt Rhenum navibus ratibusque, triginta milibus passuum infra eum locum ubi pons erat perfectus praesidiumque ab Caesare relictum; primos Eburonum fines adeunt, multos ex fuga dispersos excipiunt, magno pecoris numero, cuius sunt cupidissimi barbari, potiuntur. [7] Invitati praeda, longius procedunt; non hos palus, in bello latrociniisque natos, non silvae morantur. Quibus in locis sit Caesar ex captivis quaerunt; profectum longius reperiunt omnemque exercitum discessisse cognoscunt. [8] Atque unus ex captivis: 'Quid vos,' inquit, 'hanc miseram ac tenuem sectamini praedam, quibus licet iam esse fortunatissimos? Tribus horis Aduatucam venire potestis; huc omnes suas fortunas exercitus Romanorum contulit; [9] praesidii tantum est, ut ne murus quidem cingi possit neque quisquam egredi extra munitiones audeat.' [10] Oblata spe, Germani quam nacti erant

praedam in occulto relinquunt; ipsi Aduatucam contendunt, usi eodem duce cuius haec indicio cognoverant.

XXXVI. [1] Cicero, qui omnes superiores dies praeceptis Caesaris cum summa diligentia milites in castris continuisset, ac ne calonem quidem quemquam extra munitionem egredi passus esset, septimo die, diffidens de numero dierum Caesarem fidem servaturum, quod longius progressum audiebat neque ulla de reditu eius fama adferebatur, [2] simul eorum permotus vocibus qui illius patientiam paene obsessionem appellabant, siquidem ex castris egredi non liceret, nullum eius modi casum exspectans quo, novem oppositis legionibus maximoque equitatu dispersis ac paene deletis hostibus, in milibus passuum tribus offendi posset, quinque cohortes frumentatum in proximas segetes mittit, quas inter et castra unus omnino collis intererat. [3] Complures erant ex legionibus aegri relicti; ex quibus qui hoc spatio dierum convaluerant, circiter trecenti, sub vexillo una mittuntur; magna praeterea multitudo calonum, magna vis iumentorum, quae in castris subsederant, facta potestate sequitur.

XXXVII. [1] Hoc ipso tempore et casu Germani equites interveniunt, protinusque eodem illo quo venerant cursu ab decumana porta in castra inrumpere conantur; [2] nec prius sunt visi, obiectis ab ea parte silvis, quam castris appropinquarent, usque eo ut qui sub vallo tenderent mercatores recipiendi sui facultatem non haberent. [3] Inopinantes nostri re nova perturbantur, ac vix primum impetum cohors in statione sustinet. [4] Circumfunduntur ex reliquis hostes partibus, si quem aditum reperire possent. [5] Aegre portas nostri tuentur; reliquos aditus locus ipse per se munitioque defendit. [6] Totis trepidatur castris, atque alius ex alio causam tumultus quaerit; neque quo signa ferantur neque quam in partem quisque conveniat provident. [7] Alius castra iam capta

pronuntiat, alius, deleto exercitu atque imperatore, victores barbaros venisse contendit; [8] plerique novas sibi ex loco religiones fingunt, Cottaeque et Titurii calamitatem, qui in eodem occiderint castello, ante oculos ponunt. [9] Tali timore omnibus perterritis, confirmatur opinio barbaris, ut ex captivo audierant, nullum esse intus praesidium. [10] Perrumpere nituntur, seque ipsi adhortantur ne tantam fortunam ex manibus dimittant.

XXXVIII. [1] Erat aeger cum praesidio relictus P. Sextius Baculus, qui primum pilum ad Caesarem duxerat, cuius mentionem in superioribus proeliis fecimus, ac diem iam quintum cibo caruerat. [2] Hic, diffisus suae atque omnium saluti, inermis ex tabernaculo prodit; videt imminere hostes atque in summo esse rem discrimine; capit arma a proximis atque in porta consistit. [3] Consequuntur hunc centuriones eius cohortis quae in statione erat; paulisper una proelium sustinent. [4] Relinquit animus Sextium, gravibus acceptis vulneribus; aegre per manus tractus servatur. [5] Hoc spatio interposito, reliqui sese confirmant tantum, ut in munitionibus consistere audeant speciemque defensorum praebeant.

XXXIX. [1] Interim, confecta frumentatione, milites nostri clamorem exaudiunt; praecurrunt equites; quanto res sit in periculo cognoscunt. [2] Hic vero nulla munitio est quae perterritos recipiat; modo conscripti atque usus militaris imperiti ad tribunum militum centurionesque ora convertunt; quid ab his praecipiatur exspectant. [3] Nemo est tam fortis quin rei novitate perturbetur. [4] Barbari, signa procul conspicati, oppugnatione desistunt; redisse primo legiones credunt, quas longius discessisse ex captivis cognoverant; postea, dispecta paucitate, ex omnibus partibus impetum faciunt.

XL. [1] Calones in proximum tumulum procurrunt. Hinc celeriter deiecti, se in signa manipulosque coniciunt; eo magis timidos perterrent milites. [2] Alii, cuneo

facto, ut celeriter perrumpant censent, quoniam tam propinqua sint castra, et, si pars aliqua circumventa ceciderit, at reliquos servari posse confidunt; [3] alii, ut in iugo consistant atque eundem omnes ferant casum. [4] Hoc veteres non probant milites, quos sub vexillo una profectos docuimus. Itaque inter se cohortati, duce C. Trebonio, equite Romano, qui eis erat praepositus, per medios hostes perrumpunt, incolumesque ad unum omnes in castra perveniunt. [5] Hos subsecuti calones equitesque eodem impetu militum virtute servantur. [6] At ei qui in iugo constiterant, nullo etiam nunc usu rei militaris percepto, neque in eo quod probaverant consilio permanere, ut se loco superiore defenderent, neque eam quam prodesse aliis vim celeritatemque viderant, imitari potuerunt; sed, se in castra recipere conati, iniquum in locum demiserunt. [7] Centuriones, quorum nonnulli ex inferioribus ordinibus reliquarum legionum virtutis causa in superiores erant ordines huius legionis traducti, ne ante partam rei militaris laudem amitterent, fortissime pugnantes conciderunt. [8] Militum pars, horum virtute submotis hostibus, praeter spem incolumis in castra pervenit; pars a barbaris circumventa periit.

XLI. [1] Germani, desperata expugnatione castrorum, quod nostros iam constitisse in munitionibus videbant, cum ea praeda quam in silvis deposuerant trans Rhenum sese receperunt. [2] Ac tantus fuit etiam post discessum hostium terror, ut ea nocte, cum C. Volusenus missus cum equitatu ad castra venisset, fidem non faceret adesse cum incolumi Caesarem exercitu. [3] Sic omnino animos timor praeoccupaverat, ut, paene alienata mente, deletis omnibus copiis, equitatum se ex fuga recepisse dicerent, neque, incolumi exercitu, Germanos castra oppugnaturos fuisse contenderent. [4] Quem timorem Caesaris adventus sustulit.

XLII

HORACE'S IMMORTALITY.

(Hor. *Carm.* iii. 30.)

Exegi monumentum aere perennius
Regalique situ pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere aut innumerabilis
Annorum series et fuga temporum.
Non omnis moriar, multaque pars mei
Vitabit Libitinam: usque ego postera
Crescam laude recens, dum Capitolium
Scandet cum tacita virgine pontifex.
Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos. Sume superbiam
Quaesitam meritis et mihi Delphica
Lauro cinge volens, Melpomene, comam.

XLIII

THE SCHOOLMASTER'S NEIGHBOUR COMPLAINS.

(Mart. ix. 69.)

Quid tibi nobiscum est, ludi scelerate magister,
  Invisum pueris virginibusque caput?
Nondum cristati rupere silentia galli:
  Murmure iam saevo verberibusque tonas.
Tam grave percussis incudibus aera resultant,
  Causidicum medio cum faber aptat equo;
Mitior in magno clamor furit amphitheatro,
  Vincenti parmae cum sua turba favet.

Vicini somnum, non tota nocte, rogamus;
Nam vigilare leve est, pervigilare grave.
Discipulos dimitte tuos. Vis, garrule, quantum
Accipis ut clames, accipere ut taceas?

XLIV

THE FIRST SPEECH OF CICERO AGAINST CATILINE.

(Cic. *In Cat.* i.)

(*L. Sergius Catilina, a Roman senator who had ruined himself by his extravagance, plotted with others as discontented as himself, to assassinate the magistrates at Rome, and to seize the government themselves. Such a plot, absurd as it seems to us, was quite feasible at Rome, where the government had no regular police force in the city except a few lictors. It was, however, detected by Cicero, one of the consuls for the year* (B. C. 63), *who in the following speech revealed it to a meeting of the Senate, at which Catiline himself was present.*)

I. [1] Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit audacia? Nihilne te nocturnum praesidium Palatii, nihil urbis vigiliae, nihil timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus habendi senatus locus, nihil horum ora vultusque moverunt? Patere tua consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri coniurationem tuam non vides? Quid proxima, quid superiore nocte egeris, ubi fueris, quos convocaveris, quid consilii ceperis, quem nostrum ignorare arbitraris? [2] O tempora, O mores! Senatus haec intellegit, consul videt; hic tamen vivit. Vivit? immo vero etiam in senatum venit, fit publici consilii particeps, notat et designat oculis ad

caedem unum quemque nostrum. Nos autem, fortes viri, satis facere rei publicae videmur, si istius furorem ac tela vitemus. Ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem oportebat, in te conferri pestem quam tu in nos omnes iam diu machinaris. [3] An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit: Catilinam orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem nos consules perferemus? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes acrioribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coercerent. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave, non deest rei publicae consilium neque auctoritas huius ordinis; nos, nos, dico aperte, consules desumus.

II. [4] Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret ne quid res publica detrimenti caperet; nox nulla intercessit; interfectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, clarissimo patre, avo, maioribus, occisus est cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus est permissa res publica; num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis et C. Servilium praetorem mors ac rei publicae poena remorata est? At nos vicensimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim huiusce modi senatus consultum, verum inclusum in tabulis tamquam in vagina reconditum, quo ex senatus consulto confestim te interfectum esse, Catilina, convenit. Vivis, et vivis non ad deponendam, sed ad confirmandam audaciam. Cupio, patres conscripti, me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum videri, sed iam me ipse inertiae nequitiaeque condemno. [5] Castra sunt in

Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus collocata, crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu videmus intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem. Si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit verendum mihi, ne non potius hoc omnes boni serius a me quam quisquam crudelius factum esse dicat. Verum ego hoc, quod iam pridem factum esse oportuit, certa de causa nondum adducor ut faciam. Tum denique interficiere, cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inveniri poterit, qui id non iure factum esse fateatur. [6] Quamdiu quisquam erit qui te defendere audeat, vives, et vives ita ut vivis, multis meis et firmis praesidiis obsessus, ne commovere te contra rem publicam possis. Multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

III. Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coeptus nefarios, nec privata domus parietibus continere voces coniurationis tuae potest, si inlustrantur, si erumpunt omnia? Muta iam istam mentem, mihi crede, obliviscere caedis atque incendiorum. Teneris undique; luce sunt clariora nobis tua consilia omnia; quae iam mecum licet recognoscas. [7] Meministine me ante diem XII Kalendas Novembres dicere in senatu fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI Kal. Novembres, C. Manlium, audaciae satellitem atque administrum tuae? Num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox tamque incredibilis, verum, id quod multo magis est admirandum, dies? Dixi ego idem in senatu caedem te optimatium contulisse in ante diem V Kalendas Novembres, tum cum multi principes civitatis Roma non tam sui conservandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. Num infitiari potes te illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia

circumclusum commovere te contra rem publicam non potuisse, cum tu discessu ceterorum nostra tamen, qui remansissemus, caede te contentum esse dicebas? [8] Quid? cum te Praeneste Kalendis ipsis Novembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine illam coloniam meo iussu, meis praesidiis, custodiis, vigiliis esse munitam? Nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas, quod non ego non modo audiam, sed etiam videam planeque sentiam.

IV. Recognosce tandem mecum noctem illam superiorem; iam intelleges multo me vigilare acrius ad salutem quam te ad perniciem rei publicae. Dico te priore nocte venisse inter falcarios (non agam obscure) in M. Laecae domum; convenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios. Num negare audes? quid taces? Convincam, si negas. Video enim esse hic in senatu quosdam, qui tecum una fuerunt. [9] O di immortales! ubinam gentium sumus? in qua urbe vivimus? quam rem publicam habemus? Hic, hic sunt in nostro numero, patres conscripti, in hoc orbis terrae sanctissimo gravissimoque consilio, qui de nostro omnium interitu, qui de huius urbis atque adeo de orbis terrarum exitio cogitent! Hos ego video consul et de re publica sententiam rogo et, quos ferro trucidari oportebat, eos nondum voce vulnero! Fuisti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina, distribuisti partes Italiae, statuisti quo quemque proficisci placeret, delegisti, quos Romae relinqueres, quos tecum educeres, discripsisti urbis partes ad incendia, confirmasti te ipsum iam esse exiturum, dixisti paulum tibi esse etiam nunc morae, quod ego viverem. Reperti sunt duo equites Romani qui te ista cura liberarent et sese illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos esse pollicerentur. [10] Haec ego omnia vixdum etiam coetu vestro dimisso comperi; domum meam maioribus praesidiis munivi atque firmavi, exclusi eos quos tu ad me

salutatum mane miseras, cum illi ipsi venissent, quos ego iam multis ac summis viris ad me id temporis venturos esse praedixeram.

V. Quae cum ita sint, Catilina, perge quo coepisti, egredere aliquando ex urbe; patent portae; proficiscere. Nimium diu te imperatorem tua illa Manliana castra desiderant. Educ tecum etiam omnes tuos, si minus, quam plurimos; purga urbem. Magno me metu liberabis, dum modo inter me atque te murus intersit. Nobiscum versari iam diutius non potes; non feram, non patiar, non sinam. [11] Magna dis immortalibus habenda est atque huic ipsi Iovi Statori, antiquissimo custodi huius urbis, gratia, quod hanc tam taetram, tam horribilem tamque infestam rei publicae pestem totiens iam effugimus. Non est saepius in uno homine summa salus periclitanda rei publicae. Quamdiu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio, sed privata diligentia defendi. Cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti, compressi conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis, nullo tumultu publice concitato; denique quotienscumque me petisti, per me tibi obstiti, quamquam videbam perniciem meam cum magna calamitate rei publicae esse coniunctam. [12] Nunc iam aperte rem publicam universam petis, templa deorum immortalium, tecta urbis, vitam omnium civium, Italiam totam ad exitium et vastitatem vocas. Quare, quoniam id quod est primum, et quod huius imperii disciplinaeque maiorum proprium est, facere nondum audeo, faciam id quod est ad severitatem lenius et ad communem salutem utilius. Nam si te interfici iussero, residebit in re publica reliqua coniuratorum manus; sin tu, quod te iam dudum hortor, exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa sentina rei publicae. [13] Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante facere, quod iam tua sponte

faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem. Interrogas me, num in exsilium; non iubeo, sed si me consulis, suadeo.

VI. Quid est enim, Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est extra istam coniurationem perditorum hominum, qui te non metuat, nemo qui non oderit. Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? quod privatarum rerum dedecus non haeret in fama? quae lubido ab oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto corpore afuit? cui tu adulescentulo, quem corruptelarum inlecebris inretisses, non aut ad audaciam ferrum aut ad lubidinem facem praetulisti? [14] Quid vero? nuper cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod ego praetermitto et facile patior sileri, ne in hac civitate tanti facinoris immanitas aut exstitisse aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties; ad illa venio quae non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam rem publicam atque ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent. [15] Potestne tibi haec lux, Catilina, aut huius caeli spiritus esse iucundus, cum scias esse horum neminem qui nesciat te pridie Kalendas Ianuarias Lepido et Tullo consulibus stetisse in comitio cum telo, manum consulum et principum civitatis interficiendorum causa paravisse, sceleri ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, sed fortunam populi Romani obstitisse? Ac iam illa omitto (neque enim sunt aut obscura aut non multa commissa postea); quotiens tu me designatum, quotiens consulem interficere conatus es! quot ego tuas petitiones ita coniectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi! Nihil agis,

nihil adsequeris, neque tamen conari ac velle desistis. [16] Quotiens tibi iam extorta est ista sica de manibus, quotiens excidit casu aliquo et elapsa est! quae quidem quibus abs te initiata sacris ac devota sit, nescio, quod eam necesse putas esse in consulis corpore defigere.

VII. Nunc vero quae tua est ista vita? Sic enim iam tecum loquar, non ut odio permotus esse videar, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi nulla debetur. Venisti paulo ante in senatum. Quis te ex hac tanta frequentia totque tuis amicis ac necessariis salutavit? Si hoc post hominum memoriam contigit nemini, vocis exspectas contumeliam, cum sis gravissimo iudicio taciturnitatis oppressus? Quid, quod adventu tuo ista subsellia vacuefacta sunt, quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem constituti fuerunt, simul atque adsedisti, partem istam subselliorum nudam atque inanem reliquerunt, quo tandem animo tibi ferendum putas? [17] Servi mehercule mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui, domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? et si me meis civibus iniuria suspectum tam graviter atque offensum viderem, carere me aspectu civium quam infestis omnium oculis conspici mallem; tu, cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium omnium iustum et iam diu tibi debitum, dubitas, quorum mentes sensusque vulneras, eorum aspectum praesentiamque vitare? Si te parentes timerent atque odissent tui neque eos ulla ratione placare posses, ut opinor, ab eorum oculis aliquo concederes. Nunc te patria, quae communis est parens omnium nostrum, odit ac metuit et iam diu nihil te iudicat nisi de parricidio suo cogitare; huius tu neque auctoritatem verebere nec iudicium sequere nec vim pertimesces? [18] Quae tecum, Catilina, sic agit et quodam modo tacita loquitur: 'Nullum iam aliquot annis facinus exstitit nisi per te, nullum flagitium sine te; tibi

uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera: tu non solum ad neglegendas leges et quaestiones, verum etiam ad evertendas perfringendasque valuisti. Superiora illa, quamquam ferenda non fuerent, tamen ut potui tuli; nunc vero me totam esse in metu propter unum te, quidquid increpuerit, Catilinam timeri, nullum videri contra me consilium iniri posse quod a tuo scelere abhorreat, non est ferendum. Quam ob rem discede atque hunc mihi timorem eripe; si est verus, ne opprimar, sin falsus, ut tandem aliquando timere desinam.'

VIII. [19] Haec si tecum, ita ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiam si vim adhibere non possit? Quid, quod tu te ipse in custodiam dedisti, quod vitandae suspicionis causa ad M'. Lepidum te habitare velle dixisti? A quo non receptus etiam ad me venire ausus es atque, ut domi meae te adservarem, rogasti. Cum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse isdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem, quod isdem moenibus contineremur, ad Q. Metellum praetorem venisti. A quo repudiatus ad sodalem tuum, virum optimum, M. Metellum demigrasti; quem tu videlicet et ad custodiendum diligentissimum et ad suspicandum sagacissimum et ad vindicandum fortissimum fore putasti. Sed quam longe videtur a carcere atque a vinculis abesse debere, qui se ipse iam dignum custodia iudicarit! [20] Quae cum ita sint, Catilina, dubitas, si emori aequo animo non potes, abire in aliquas terras et vitam istam multis suppliciis iustis debitisque ereptam fugae solitudinique mandare?

'Refer,' inquis, 'ad senatum'; id enim postulas et, si hic ordo placere decreverit te ire in exsilium, obtemperaturum te esse dicis. Non referam, id quod abhorret a meis moribus, et tamen faciam ut intellegas quid hi de te sentiant. Egredere ex urbe, Catilina, libera rem

publicam metu, in exsilium, si hanc vocem exspectas, proficiscere. Quid est, Catilina? ecquid attendis, ecquid animadvertis horum silentium? Patiuntur, tacent. Quid exspectas auctoritatem loquentium, quorum voluntatem tacitorum perspicis? [21] At si hoc idem huic adulescenti optimo, P. Sestio, si fortissimo viro, M. Marcello, dixissem iam mihi consuli hoc ipso in templo iure optimo senatus vim et manus intulisset. De te autem, Catilina, cum quiescunt, probant: cum patiuntur, decernunt: cum tacent, clamant; neque hi solum, quorum tibi auctoritas est videlicet cara, vita vilissima, sed etiam illi equites Romani, honestissimi atque optimi viri, ceterique fortissimi cives qui circumstant senatum, quorum tu et frequentiam videre et studia perspicere et voces paulo ante exaudire potuisti. Quorum ego vix abs te iam diu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam, ut te haec, quae vastare iam pridem studes, relinquentem usque ad portas prosequantur.

IX. [22] Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat, tu ut umquam te corrigas, tu ut ullam fugam meditere, tu ut ullum exsilium cogites! Utinam tibi istam mentem di immortales duint! tametsi video, si mea voce perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas invidiae nobis, si minus in praesens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at in posteritatem impendeat. Sed est tanti, dum modo ista sit privata calamitas et a rei publicae periculis seiungatur. Sed tu ut vitiis tuis commoveare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus rei publicae cedas, non est postulandum. Neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor umquam a turpitudine aut metus a periculo aut ratio a furore revocarit. [23] Quam ob rem, ut saepe iam dixi, proficiscere ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo conflare vis invidiam, recta perge in exsilium; vix feram sermones hominum, si id feceris, vix molem istius invidiae,

si in exsilium iussu consulis ieris, sustinebo. Sin autem servire meae laudi et gloriae mavis, egredere cum importuna sceleratorum manu, confer te ad Manlium, concita perditos cives, secerne te a bonis, infer patriae bellum, exsulta impio latrocinio, ut a me non eiectus ad alienos, sed invitatus ad tuos isse videaris. [24] Quamquam quid ego te invitem, a quo iam sciam esse praemissos qui tibi ad Forum Aurelium praestolarentur armati, cui iam sciam pactam et constitutam cum Manlio diem, a quo etiam aquilam illam argenteam, quam tibi ac tuis omnibus confido perniciosam ac funestam futuram, cui domi tuae sacrarium constitutum fuit, sciam esse praemissam? Tu ut illa carere diutius possis, quam venerari ad caedem proficiscens solebas, a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem civium transtulisti?

X. [25] Ibis tandem aliquando, quo te iam pridem ista tua cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat; neque enim tibi haec res adfert dolorem, sed quandam incredibilem voluptatem. Ad hanc te amentiam natura peperit, voluntas exercuit, fortuna servavit. Numquam tu non modo otium, sed ne bellum quidem nisi nefarium concupisti. Nactus es ex perditis atque ab omni non modo fortuna, verum etiam spe derelictis conflatam improborum manum. [26] Hic tu qua laetitia perfruere, quibus gaudiis exsultabis, quanta in voluptate bacchabere, cum in tanto numero tuorum neque audies virum bonum quemquam neque videbis! Ad huius vitae studium meditati illi sunt, qui feruntur, labores tui, iacere humi non solum ad obsidendum stuprum, verum etiam ad facinus obeundum, vigilare non solum insidiantem somno maritorum, verum etiam bonis otiosorum. Habes ubi ostentes tuam illam praeclaram patientiam famis, frigoris, inopiae rerum omnium, quibus te brevi tempore confectum esse senties. [27] Tantum profeci tum, cum te a consulatu reppuli, ut exsul potius temptare quam consul vexare rem publicam

posses, atque ut id, quod esset a te scelerate susceptum, latrocinium potius quam bellum nominaretur.

XI. Nunc, ut a me, patres conscripti, quandam prope iustam patriae querimoniam detester ac deprecer, percipite, quaeso, diligenter quae dicam, et ea penitus animis vestris mentibusque mandate. Etenim si mecum patria, quae mihi vita mea multo est carior, si cuncta Italia, si omnis res publica loquatur: 'M. Tulli, quid agis? Tune eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem coniurationis, evocatorem servorum et civium perditorum, exire patiere, ut abs te non emissus ex urbe, sed immissus in urbem esse videatur? Nonne hunc in vincla duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? [28] Quid tandem te impedit? mosne maiorum? At persaepe etiam privati in hac re publica perniciosos cives morte multarunt. An leges, quae de civium Romanorum supplicio rogatae sunt? At numquam in hac urbe, qui a re publica defecerunt, civium iura tenuerunt. An invidiam posteritatis times? Praeclaram vero populo Romano refers gratiam, qui te, hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum, tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam aut alicuius periculi metum salutem civium tuorum neglegis. [29] Sed, si quis est invidiae metus, non est vehementius severitatis ac fortitudinis invidia quam inertiae ac nequitiae pertimescenda. An, cum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae incendio conflagraturum?'

XII. His ego sanctissimis rei publicae vocibus et eorum hominum qui hoc idem sentiunt mentibus pauca respondebo. Ego si hoc optimum factu iudicarem, patres conscripti, Catilinam morte multari, unius usuram horae gladiatori isti ad vivendum non dedissem. Etenim, si

summi viri et clarissimi cives Saturnini et Gracchorum et Flacci et superiorum complurium sanguine non modo se non contaminarunt, sed etiam honestarunt, certe verendum mihi non erat, ne quid hoc parricida civium interfecto invidiae mihi in posteritatem redundaret. Quodsi ea mihi maxima impenderet, tamen hoc animo fui semper, ut invidiam virtute partam gloriam, non invidiam putarem. [30] Quamquam non nulli sunt in hoc ordine qui aut ea, quae imminent, non videant, aut ea, quae vident, dissimulent; qui spem Catilinae mollibus sententiis aluerunt, coniurationemque nascentem non credendo corroboraverunt; quorum auctoritate multi non solum improbi, verum etiam imperiti, si in hunc animadvertissem, crudeliter et regie factum esse dicerent. Nunc intellego, si iste, quo intendit, in Manliana castra pervenerit, neminem tam stultum fore, qui non videat coniurationem esse factam, neminem tam improbum, qui non fateatur. Hoc autem uno interfecto intellego hanc rei publicae pestem paulisper reprimi, non in perpetuum comprimi posse. Quodsi se eiecerit secumque suos eduxerit et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregarit, exstinguetur atque delebitur non modo haec tam adulta rei publicae pestis, verum etiam stirps ac semen malorum omnium.

XIII. [31] Etenim iam diu, patres conscripti, in his periculis coniurationis insidiisque versamur, sed nescio quo pacto omnium scelerum ac veteris furoris et audaciae maturitas in nostri consulatus tempus erupit. Quodsi ex tanto latrocinio iste unus tolletur, videbimur fortasse ad breve quoddam tempus cura et metu esse relevati, periculum autem residebit et erit inclusum penitus in venis atque in visceribus rei publicae. Ut saepe homines aegri morbo gravi cum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberunt, primo relevari videntur, deinde multo gravius vehementiusque adflictantur, sic hic morbus, qui

est in re publica, relevatus istius poena, vehementius reliquis vivis ingravescet. [32] Quare secedant improbi, secernant se a bonis, unum in locum congregentur, muro denique, quod saepe iam dixi, secernantur a nobis; desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad inflammandam urbem comparare; sit denique inscriptum in fronte unius cuiusque, quid de re publica sentiat. Polliceor hoc vobis, patres conscripti, tantam in nobis consulibus fore diligentiam, tantam in vobis auctoritatem, tantam in equitibus Romanis virtutem, tantam in omnibus bonis consensionem, ut Catilinae profectione omnia patefacta, inlustrata, oppressa, vindicata esse videatis.

[33] Hisce ominibus, Catilina, cum summa rei publicae salute, cum tua peste ac pernicie cumque eorum exitio qui se tecum omni scelere parricidioque iunxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. Tu, Iuppiter, qui isdem quibus haec urbs auspiciis a Romulo es constitutus, quem Statorem huius urbis atque imperii vere nominamus, hunc et huius socios a tuis ceterisque templis, a tectis urbis ac moenibus, a vita fortunisque civium arcebis et homines bonorum inimicos, hostes patriae, latrones Italiae scelerum foedere inter se ac nefaria societate coniunctos aeternis suppliciis vivos mortuosque mactabis.

XLV

THE CHARACTER OF CATILINE.

(Sallust, *Cat.* v.)

[1] L. Catilina, nobili genere natus, fuit magna vi et animi et corporis, sed ingenio malo pravoque. [2] Huic ab adulescentia bella intestina, caedes, rapinae, discordia civilis grata fuere, ibique iuventutem suam exercuit. [3]

Corpus patiens inediae, algoris, vigiliae supra quam cuiquam credibile est. [4] Animus audax subdolus varius, cuius rei lubet simulator ac dissimulator, alieni appetens, sui profusus, ardens in cupiditatibus; satis eloquentiae, sapientiae parum. [5] Vastus animus immoderata, incredibilia, nimis alta semper cupiebat. [6] Hunc post dominationem L. Sullae lubido maxima invaserat rei publicae capiundae, neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quidquam pensi habebat. [7] Agitabatur magis magisque in dies animus ferox inopia rei familiaris et conscientia scelerum, quae utraque eis artibus auxerat quas supra memoravi. [8] Incitabant praeterea corrupti civitatis mores, quos pessima ac diversa inter se mala, luxuria atque avaritia, vexabant.

XLVI

THE TALE OF THE DAUGHTERS OF DANAUS.

(Hor. *Carm.* iii. 11.)

(*Ostensibly this is a hymn in honour of Mercury, the inventor of the lyre; in reality it is addressed to Lyde, who is meant to apply the moral of the tale to herself.*)

Mercuri—nam te docilis magistro
Movit Amphion lapides canendo—
Tuque testudo resonare septem
    Callida nervis,
Nec loquax olim neque grata, nunc et
Divitum mensis et amica templis,
Dic modos, Lyde quibus obstinatas
    Applicet aures,
Quae velut latis equa trima campis
Ludit exsultim metuitque tangi,
Nuptiarum expers et adhuc protervo
    Cruda marito.

Tu potes tigres comitesque silvas
Ducere et rivos celeres morari;
Cessit immanis tibi blandienti
    Ianitor aulae,

Cerberus, quamvis furiale centum
Muniant angues caput eius atque
Spiritus taeter saniesque manet
    Ore trilingui.

Quin et Ixion Tityosque vultu
Risit invito, stetit urna paulum
Sicca, dum grato Danai puellas
    Carmine mulces.

Audiat Lyde scelus atque notas
Virginum poenas et inane lymphae
Dolium fundo pereuntis imo,
    Seraque fata

Quae manent culpas etiam sub Orco.
Impiae—nam quid potuere maius?—
Impiae sponsos potuere duro
    Perdere ferro.

Una de multis, face nuptiali
Digna, periurum fuit in parentem
Splendide mendax et in omne virgo
    Nobilis aevum;

'Surge,' quae dixit iuveni marito,
'Surge, ne longus tibi somnus, unde
Non times, detur; socerum et scelestas
    Falle sorores,

Quae velut nactae vitulos leaenae
Singulos, eheu! lacerant; ego illis
Mollior nec te feriam neque intra
    Claustra tenebo.

Me pater saevis oneret catenis,
Quod viro clemens misero peperci;

Me vel extremos Numidarum in agros
Classe releget;
I, pedes quo te rapiunt et aurae,
Dum favet nox et Venus, i secundo
Omine et nostri memorem sepulchro
Scalpe querelam.'

XLVII

THE TALE OF ORPHEUS AND EURYDICE.

(Verg. *Georg.* iv. 387.)

(*Aristaeus, troubled at the mysterious death of his bees, seeks advice from his mother, the nymph Cyrene, who tells him how he can force the sea-god Proteus to answer his questions.*)

'Est in Carpathio Neptuni gurgite vates
Caeruleus Proteus, magnum qui piscibus aequor
Et iuncto bipedum curru metitur equorum.
Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit
Pallenen, hunc et Nymphae veneramur et ipse
Grandaevus Nereus; novit namque omnia vates,
Quae sint, quae fuerint, quae mox ventura trahantur;
Quippe ita Neptuno visum est, immania cuius
Armenta et turpes pascit sub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
Expediat morbi causam eventusque secundet.
Nam sine vi non ulla dabit praecepta, neque illum
Orando flectes; vim duram et vincula capto
Tende; doli circum haec demum frangentur inanes.
Ipsa ego te, medios cum sol accenderit aestus,
Cum sitiunt herbae et pecori iam gratior umbra est,
In secreta senis ducam, quo fessus ab undis
Se recipit, facile ut somno adgrediare iacentem.
Verum ubi correptum manibus vinclisque tenebis,
Tum variae eludent species atque ora ferarum.

Fiet enim subito sus horridus atraque tigris
Squamosusque draco et fulva cervice leaena,
Aut acrem flammae sonitum dabit atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.
Sed quanto ille magis formas se vertet in omnes,
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla,
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina somno.'
Haec ait et liquidum ambrosiae diffundit odorem,
Quo totum nati corpus perduxit; at illi
Dulcis compositis spiravit crinibus aura
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis, quo plurima vento
Cogitur inque sinus scindit sese unda reductos,
Deprensis olim statio tutissima nautis;
Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.
Hic iuvenem in latebris aversum a lumine Nympha
Collocat; ipsa procul nebulis obscura resistit.
Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos
Ardebat, caelo et medium sol igneus orbem
Hauserat; arebant herbae et cava flumina siccis
Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant,
Cum Proteus consueta petens e fluctibus antra
Ibat; eum vasti circum gens umida ponti
Exsultans rorem late dispergit amarum.
Sternunt se somno diversae in litore phocae.
Ipse, velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi e pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni,
Considit scopulo medius numerumque recenset.
Cuius Aristaeo quoniam est oblata facultas,
Vix defessa senem passus componere membra
Cum clamore ruit magno manicisque iacentem
Occupat. Ille suae contra non immemor artis
Omnia transformat sese in miracula rerum,

Ignemque horribilemque feram fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
In sese redit atque hominis tandem ore locutus:
'Nam quis te, iuvenum confidentissime, nostras
Iussit adire domos? quidve hinc petis?' inquit; at ille:
'Scis, Proteu, scis ipse; neque est te fallere quidquam;
Sed tu desine velle. Deum praecepta secuti
Venimus hinc lapsis quaesitum oracula rebus.'
Tantum effatus. Ad haec vates vi denique multa
Ardentes oculos intorsit lumine glauco
Et graviter frendens sic fatis ora resolvit.
'Non te nullius exercent numinis irae;
Magna luis commissa: tibi has miserabilis Orpheus
Haud quaquam ad meritum poenas, ni fata resistant,
Suscitat et rapta graviter pro coniuge saevit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina praeceps,
Immanem ante pedes hydrum moritura puella
Servantem ripas alta non vidit in herba.
At chorus aequalis Dryadum clamore supremos
Implerunt montes; flerunt Rhodopeiae arces
Altaque Pangaea et Rhesi Mavortia tellus
Atque Getae atque Hebrus et Actias Orithyia.
Ipse cava solans aegrum testudine amorem
Te, dulcis coniunx, te solo in litore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.
Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis.
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus Manesque adiit regemque tremendum
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotae Erebi de sedibus imis
Umbrae ibant tenues simulacraque luce carentum.
Quam multa in foliis avium se milia condunt,
Vesper ubi aut hibernus agit de montibus imber,
Matres atque viri defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,

Impositique rogis iuvenes ante ora parentum,
Quos circum limus niger et deformis harundo
Cocyti tardaque palus inamabilis unda
Alligat, et noviens Styx interfusa coercet.
Quin ipsae stupuere domus atque intima Leti
Tartara, caeruleosque implexae crinibus angues
Eumenides, tenuitque inhians tria Cerberus ora,
Atque Ixionii vento rota constitit orbis.
Iamque pedem referens casus evaserat omnes,
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,
Pone sequens—namque hanc dederat Proserpina legem—
Cum subita incautum dementia cepit amantem,
Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere Manes.
Restitit Eurydicenque suam iam luce sub ipsa
Immemor, heu! victusque animi respexit. Ibi omnis
Effusus labor atque immitis rupta tyranni
Foedera, terque fragor stagnis auditus Avernis.
Illa 'quis et me,' inquit, 'miseram et te perdidit, Orpheu,
Quis tantus furor? en iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque natantia lumina somnus.
Iamque vale; feror ingenti circumdata nocte
Invalidasque tibi tendens, heu non tua, palmas.'
Dixit et ex oculis subito, ceu fumus in auras
Commixtus tenues, fugit diversa, neque illum,
Prensantem nequiquam umbras et multa volentem
Dicere, praeterea vidit, nec portitor Orci
Amplius obiectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis coniuge ferret?
Quos fletu Manes, quae numina voce moveret?
Illa quidem Stygia nabat iam frigida cumba.
Septem illum totos perhibent ex ordine menses
Rupe sub aeria deserti ad Strymonis undam
Flevisse et gelidis haec evolvisse sub antris
Mulcentem tigres et agentem carmine quercus;
Qualis populea maerens philomela sub umbra

Amissos queritur fetus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit; at illa
Flet noctem ramoque sedens miserabile carmen
Integrat et maestis late loca questibus implet.
Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenaei.
Solus Hyperboreas glacies Tanaimque nivalem
Arvaque Rhipaeis numquam viduata pruinis
Lustrabat, raptam Eurydicen atque inrita Ditis
Dona querens; spretae Ciconum quo munere matres
Inter sacra deum nocturnique orgia Bacchi
Discerptum latos iuvenem sparsere per agros.
Tum quoque marmorea caput a cervice revulsum
Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus
Volveret, Eurydicen vox ipsa et frigida lingua
A miseram Eurydicen! anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripae.'
  Haec Proteus, et se iactu dedit aequor in altum,
Quaque dedit, spumantem undam sub vertice torsit.

XLVIII

'TO SEE OURSELVES AS OTHERS SEE US.'

(Catullus, xxii.)

Suffenus iste, Vare, quem probe nosti,
Homo est venustus et dicax et urbanus,
Idemque longe plurimos facit versus.
Puto esse ego illi milia aut decem aut plura
Perscripta, nec sic ut fit in palimpsestos
Relata; chartae regiae, novi libri,
Novi umbilici, lora, rubra membrana,
Derecta plumbo et pumice omnia aequata.
Haec cum legas tu, bellus ille et urbanus
Suffenus unus caprimulgus aut fossor
Rursus videtur; tantum abhorret ac mutat.
Hoc quid putemus esse? qui modo scurra

Aut si quid hac re tritius videbatur,
Idem infaceto est infacetior rure,
Simul poemata attigit, neque idem umquam
Aeque est beatus ac poema cum scribit;
Tam gaudet in se tamque se ipse miratur.
Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis. Suus cuique attributus est error;
Sed non videmus manticae quod in tergo est.

XLIX

TO A BOOK-BORROWER.

(MART. i. 117.)

Occurris quotiens, Luperce, nobis,
'Vis mittam puerum,' subinde dicis,
'Cui tradas epigrammaton libellum,
Lectum quem tibi protinus remittam?'
Non est quod puerum, Luperce, vexes.
Longum est, si velit ad Pirum venire,
Et scalis habito tribus, sed altis.
Quod quaeris, propius petas licebit.
Argi nempe soles subire letum:
Contra Caesaris est forum taberna
Scriptis postibus hinc et inde totis,
Omnes ut cito perlegas poetas.
Illinc me pete. Nec roges Atrectum
—Hoc nomen dominus gerit tabernae—:
De primo dabit alterove nido
Rasum pumice purpuraque cultum
Denaris tibi quinque Martialem.
'Tanti non es,' ais? Sapis, Luperce.

L

THE BATTLE OF LAKE TRASIMENE.

(LIVY xxii. 4–7.)

(*In the year* 218 B. C. *Hannibal, with a Carthaginian army, invaded Italy from the north, and early in the following year was attacked by the Romans under the consul Flaminius.*)

IV. [1] Hannibal, quod agri est inter Cortonam urbem Trasumennum que lacum, omni clade belli pervastat, quo magis iram hosti ad vindicandas sociorum iniurias acuat; [2] et iam pervenerant ad loca nata insidiis, ubi maxime montes Cortonenses Trasumennus subit. Via tantum interest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatio; deinde paulo latior patescit campus; inde colles insurgunt. [3] Ibi castra in aperto locat, ubi ipse cum Afris modo Hispanisque consideret; Baliares ceteramque levem armaturam post montes circumducit; equites ad ipsas fauces saltus, tumulis apte tegentibus, locat, ut, ubi intrassent Romani, obiecto equitatu clausa omnia lacu ac montibus essent.

[4] Flaminius cum pridie solis occasu ad lacum pervenisset, inexplorato postero die vixdum satis certa luce angustiis superatis, postquam in patentiorem campum pandi agmen coepit, id tantum hostium, quod ex adverso erat, conspexit; ab tergo ac super caput decepere insidiae. [5] Poenus ubi, id quod petierat, clausum lacu ac montibus et circumfusum suis copiis habuit hostem, signum omnibus dat simul invadendi. [6] Qui ubi, qua cuique proximum fuit, decucurrerunt, eo magis Romanis subita atque improvisa res fuit, quod orta ex lacu nebula campo quam montibus densior sederat, agminaque hostium ex pluribus collibus ipsa inter se satis conspecta eoque magis pariter decucurrerant. [7] Romanus clamore

prius undique orto, quam satis cerneret, se circumventum esse sensit, et ante in frontem lateraque pugnari coeptum est, quam satis instrueretur acies aut expediri arma stringique gladii possent.

V. [1] Consul, perculsis omnibus, ipse satis, ut in re trepida, impavidus turbatos ordines, vertente se quoque ad dissonos clamores, instruit, ut tempus locusque patitur, et quacumque adire audirique potest, adhortatur ac stare ac pugnare iubet: [2] nec enim inde votis aut imploratione deum, sed vi ac virtute evadendum esse; per medias acies ferro viam fieri, et quo timoris minus sit, eo minus ferme periculi esse. [3] Ceterum prae strepitu ac tumultu nec consilium nec imperium accipi poterat, tantumque aberat ut sua signa atque ordines et locum noscerent, ut vix ad arma capienda aptandaque pugnae competeret animus, opprimerenturque quidam onerati magis eis quam tecti. [4] Et erat in tanta caligine maior usus aurium quam oculorum. Ad gemitus vulneratorum ictusque corporum aut armorum et mixtos strepentium paventiumque clamores circumferebant ora oculosque. [5] Alii fugientes pugnantium globo inlati haerebant, alios redeuntes in pugnam avertebat fugientium agmen. [6] Deinde, ubi in omnes partes nequiquam impetus capti, et ab lateribus montes ac lacus, a fronte et ab tergo hostium acies claudebat, apparuitque nullam nisi in dextera ferroque salutis spem esse, tum sibi quisque dux adhortatorque factus ad rem gerendam et nova de integro exorta pugna est, [7] non illa ordinata per principes hastatosque ac triarios, nec ut pro signis antesignani, post signa alia pugnaret acies, nec ut in sua legione miles aut cohorte aut manipulo esset; [8] fors conglobabat et animus suus cuique ante aut post pugnandi ordinem dabat, tantusque fuit ardor animorum, adeo intentus pugnae animus, ut eum motum terrae qui multarum urbium Italiae magnas partes prostravit

avertitque cursu rapidos amnes, mare fluminibus invexit, montes lapsu ingenti proruit, nemo pugnantium senserit.

VI. [1] Tres ferme horas pugnatum est et ubique atrociter; circa consulem tamen acrior infestiorque pugna est. [2] Eum et robora virorum sequebantur, et ipse, quacumque in parte premi ac laborare senserat suos, impigre ferebat opem, insignemque armis et hostes summa vi petebant et tuebantur cives, [3] donec Insuber eques—Ducario nomen erat—facie quoque noscitans consulem, 'En,' inquit, 'hic est,' popularibus suis, 'qui legiones nostras cecidit agrosque et urbem est depopulatus; iam ego hanc victimam manibus peremptorum foede civium dabo.' [4] Subditisque calcaribus equo per confertissimam hostium turbam impetum facit, obtruncatoque prius armigero, qui se infesto venienti obviam obiecerat, consulem lancea transfixit; spoliare cupientem triarii obiectis scutis arcuere. [5] Magnae partis fuga inde primum coepit; et iam nec lacus nec montes pavori obstabant; per omnia arta praeruptaque velut caeci evadunt, armaque et viri super alium alii praecipitantur. [6] Pars magna, ubi locus fugae deest, per prima vada paludis in aquam progressi, quoad capitibus umerisque exstare possunt, sese immergunt; fuere quos inconsultus pavor nando etiam capessere fugam impulerit; [7] quae ubi immensa ac sine spe erat, aut deficientibus animis hauriebantur gurgitibus aut nequiquam fessi vada retro aegerrime repetebant, atque ibi ab ingressis aquam hostium equitibus passim trucidabantur. [8] Sex milia ferme primi agminis, per adversos hostes eruptione impigre facta, ignari omnium quae post se agerentur, ex saltu evasere, et cum in tumulo quodam constitissent, clamorem modo ac sonum armorum audientes, quae fortuna pugnae esset, neque scire nec perspicere prae caligine poterant. [9] Inclinata denique re, cum in-

calescente sole dispulsa nebula aperuisset diem, tum liquida iam luce montes campique perditas res stratamque ostendere foede Romanam aciem. [10] Itaque ne in conspectos procul immitteretur eques, sublatis raptim signis, quam citatissimo poterant agmine, sese abripuerunt. [11] Postero die, cum super cetera extrema fames etiam instaret, fidem dante Maharbale, qui cum omnibus equestribus copiis nocte consecutus erat, si arma tradidissent, abire cum singulis vestimentis passurum, sese dediderunt; [12] quae Punica religione servata fides ab Hannibale est, atque in vincula omnes coniecti.

VII. [1] Haec est nobilis ad Trasumennum pugna, atque inter paucas memorata populi Romani clades. [2] Quindecim milia Romanorum in acie caesa; decem milia sparsa fuga per omnem Etruriam diversis itineribus urbem petiere; [3] duo milia quingenti hostium in acie, multi postea ex vulneribus periere. Multiplex caedes utrimque facta traditur ab aliis; [4] ego praeterquam quod nihil auctum ex vano velim, quo nimis inclinant ferme scribentium animi, Fabium, aequalem temporibus huiusce belli, potissimum auctorem habui. [5] Hannibal, captivorum qui Latini nominis essent, sine pretio dimissis, Romanis in vincula datis, segregata ex hostium coacervatorum cumulis corpora suorum cum sepeliri iussisset, Flaminii quoque corpus funeris causa magna cum cura inquisitum non invenit.

[6] Romae ad primum nuntium cladis eius cum ingenti terrore ac tumultu concursus in forum populi est factus. [7] Matronae vagae per vias, quae repens clades allata quaeve fortuna exercitus esset, obvios percontantur; et cum frequentis contionis modo turba in comitium et curiam versa magistratus vocaret, [8] tandem haud multo ante solis occasum M. Pomponius praetor, ‘Pugna,’ inquit, ‘magna victi sumus’; et quamquam nihil certius ex eo auditum est, tamen alius ab alio impleti rumoribus

domos referunt, [9] consulem cum magna parte copiarum caesum; superesse paucos aut fuga passim per Etruriam sparsos aut captos ab hoste. [10] Quot casus exercitus victi fuerant, tot in curas distracti animi eorum erant, quorum propinqui sub C. Flaminio consule meruerant, ignorantium quae cuiusque suorum fortuna esset; nec quisquam satis certum habet quid aut speret aut timeat. [11] Postero ac deinceps aliquot diebus ad portas maior prope mulierum quam virorum multitudo stetit, aut suorum aliquem aut nuntios de eis opperiens; circumfundebanturque obviis sciscitantes neque avelli, utique ab notis, prius quam ordine omnia inquisissent, poterant. [12] Inde varios vultus digredientium ab nuntiis cerneres, ut cuique laeta aut tristia nuntiabantur, gratulantesque aut consolantes redeuntibus domos circumfusos. Feminarum praecipue et gaudia insignia erant et luctus. [13] Unam in ipsa porta sospiti filio repente oblatam in complexu eius exspirasse ferunt; alteram, cui mors filii falso nuntiata erat, maestam sedentem domi, ad primum conspectum redeuntis filii gaudio nimio exanimatam. [14] Senatum praetores per dies aliquot ab orto usque ad occidentem solem in curia retinent, consultantes quonam duce aut quibus copiis resisti victoribus Poenis posset.

LI

TRUE AND FALSE ECONOMY.

(Pliny, *Ep.* ii. 6.)

C. Plinius Avito Suo S.

[1] Longum est altius repetere, nec refert quem ad modum acciderit ut homo minime familiaris cenarem apud quendam, ut sibi videbatur, lautum et diligentem, ut mihi, sordidum simul et sumptuosum. [2] Nam sibi

et paucis opima quaedam, ceteris vilia et minuta ponebat. Vinum etiam parvulis lagunculis in tria genera descripserat, non ut potestas eligendi, sed ne ius esset recusandi, aliud sibi et nobis, aliud minoribus amicis (nam gradatim amicos habet), aliud suis nostrisque libertis. [3] Animadvertit qui mihi proximus recumbebat et an probarem interrogavit. Negavi. 'Tu ergo,' inquit, 'quam consuetudinem sequeris?' 'Eadem omnibus pono: ad cenam enim, non ad notam invito cunctisque rebus exaequo quos mensa et toro aequavi.' [4] 'Etiamne libertos?' 'Etiam; convictores enim tunc, non libertos puto.' Et ille 'magno tibi constat?' 'Minime.' 'Qui fieri potest?' 'Quia scilicet liberti mei non idem quod ego bibunt, sed idem ego quod liberti.' [5] Et Hercule, si gulae temperes, non est onerosum quo utaris ipse communicare cum pluribus. Illa ergo reprimenda, illa quasi in ordinem redigenda est, si sumptibus parcas, quibus aliquanto rectius tua continentia quam aliena contumelia consulas. [6] Quorsus haec? ne tibi, optimae indolis iuveni, quorundam in mensa luxuria specie frugalitatis imponat. Convenit autem amori in te meo, quotiens tale aliquid inciderit, sub exemplo praemonere quid debeas fugere. [7] Igitur memento nihil magis esse vitandum quam istam luxuriae et sordium novam societatem; quae cum sint turpissima discreta ac separata, turpius iunguntur. Vale.

LII

THE PHILOSOPHY OF HORACE.

(Horace, *Carm.* i. 9.)

(*It is winter; still you must make the best of your time.*)

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte, nec iam sustineant onus
  Silvae laborantes geluque
    Flumina constiterint acuto.

Dissolve frigus, ligna super foco
Large reponens, atque benignius
  Deprome quadrimum Sabina,
    O Thaliarche, merum diota.
Permitte divis cetera, qui simul
Stravere ventos aequore fervido
  Deproeliantes, nec cupressi
    Nec veteres agitantur orni.
Quid sit futurum cras, fuge quaerere et
Quem fors dierum cumque dabit, lucro
  Appone, nec dulces amores
    Sperne puer, neque tu choreas,
Donec virenti canities abest
Morosa. Nunc et campus et areae
  Lenesque sub noctem susurri
    Composita repetantur hora;
Nunc et latentis proditor intimo
Gratus puellae risus ab angulo
  Pignusque dereptum lacertis
    Aut digito male pertinaci.

LIII

A FEAST FOR THE EYES.

(Mart. iv. 78.)

Ad cenam nuper Varus me forte vocavit:
  Ornatus dives, parvula cena fuit.
Auro, non dapibus, oneratur mensa; ministri
  Apponunt oculis plurima, pauca gulae.
Tunc ego, 'Non oculos, sed ventrem pascere veni:
  Aut appone dapes, Vare, vel aufer opes.'

LIV

THE FRIENDSHIP OF NISUS AND EURYALUS.

(VERG. *Aen.* ix. 168.)

(*After the fall of Troy, the Trojan Aeneas is directed by the gods to found a new state in Italy ; but his intrusion is resented by the Rutulians, who, under their King Turnus, attack the Trojans in the absence of Aeneas, and, driving them into their camp, spend the night in revelry outside it.*)

Haec super e vallo prospectant Troes et armis
Alta tenent, nec non trepidi formidine portas
Explorant pontesque et propugnacula iungunt,
Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus,
Quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent,
Rectores iuvenum et rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio sortita periclum
Excubat exercetque vices, quod cuique tuendum est.
Nisus erat portae custos, acerrimus armis,
Hyrtacides, comitem Aeneae quem miserat Ida
Venatrix iaculo celerem levibusque sagittis ;
Et iuxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Aeneadum Troiana neque induit arma,
Ora puer prima signans intonsa iuventa.
His amor unus erat pariterque in bella ruebant ;
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait : 'Dine hunc ardorem mentibus addunt,
Euryale, an sua cuique deus fit dira cupido ?
Aut pugnam aut aliquid iam dudum invadere magnum
Mens agitat mihi nec placida contenta quiete est.
Cernis quae Rutulos habeat fiducia rerum ;
Lumina rara micant, somno vinoque soluti
Procubuere, silent late loca. Percipe porro
Quid dubitem et quae nunc animo sententia surgat.
Aenean acciri omnes, populusque patresque,

Exposcunt, mittique viros qui certa reportent.
Si tibi quae posco promittunt—nam mihi facti
Fama sat est—tumulo videor reperire sub illo
Posse viam ad muros et moenia Pallantea.'
Obstupuit magno laudum percussus amore
Euryalus, simul his ardentem adfatur amicum:
'Mene igitur socium summis adiungere rebus,
Nise, fugis? Solum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor, bellis adsuetus Opheltes,
Argolicum terrorem inter Troiaeque labores
Sublatum erudiit, nec tecum talia gessi
Magnanimum Aenean et fata extrema secutus.
Est hic, est animus lucis contemptor et istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.'
Nisus ad haec: 'Equidem de te nil tale verebar,
Nec fas, non: ita me referat tibi magnus ovantem
Iuppiter aut quicumque oculis haec aspicit aequis.
Sed si quis—quae multa vides discrimine tali—
Si quis in adversum rapiat casusve deusve,
Te superesse velim, tua vita dignior aetas.
Sit qui me raptum pugna pretiove redemptum
Mandet humo, solita aut si qua id Fortuna vetabit,
Absenti ferat inferias decoretque sepulchro.
Neu matri miserae tanti sim causa doloris,
Quae te sola, puer, multis de matribus ausa
Persequitur magni nec moenia curat Acestae.'
Ille autem: 'Causas nequiquam nectis inanes
Nec mea iam mutata loco sententia cedit.
Acceleremus,' ait. Vigiles simul excitat. Illi
Succedunt servantque vices; statione relicta
Ipse comes Niso graditur regemque requirunt.
Cetera per terras omnes animalia somno
Laxabant curas et corda oblita laborum;
Ductores Teucrum primi, delecta iuventus,
Consilium summis regni de rebus habebant,

Quid facerent, quisve Aeneae iam nuntius esset.
Stant longis adnixi hastis et scuta tenentes
Castrorum et campi medio. Tum Nisus et una
Euryalus confestim alacres admittier orant,
Rem magnam pretiumque morae fore. Primus Iulus
Accepit trepidos ac Nisum dicere iussit.
Tum sic Hyrtacides: 'Audite o mentibus aequis,
Aeneadae, neve haec nostris spectentur ab annis
Quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Conticuere; locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portae, quae proxima ponto:
Interrupti ignes aterque ad sidera fumus
Erigitur; si fortuna permittitis uti,
Quaesitum Aenean et moenia Pallantea,
Mox hic cum spoliis ingenti caede peracta
Adfore cernetis. Nec nos via fallet euntes:
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem
Venatu adsiduo, et totum cognovimus amnem.'
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:
'Di patrii, quorum semper sub numine Troia est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cum tales animos iuvenum et tam certa tulistis
Pectora.'—Sic memorans umeros dextrasque tenebat
Amborum et vultum lacrimis atque ora rigabat.—
'Quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus istis
Praemia posse rear solvi? Pulcherrima primum
Di moresque dabunt vestri; tum cetera reddet
Actutum pius Aeneas atque integer aevi
Ascanius meriti tanti non immemor umquam.'
'Immo ego vos, cui sola salus genitore reducto,'
Excipit Ascanius, 'Per magnos, Nise, penates
Assaracique larem et canae penetralia Vestae
Obtestor; quaecumque mihi fortuna fidesque est,
In vestris pono gremiis; revocate parentem,
Reddite conspectum; nihil illo triste recepto.

Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quae cepit Arisba,
Et tripodas geminos, auri duo magna talenta,
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam sceptrisque potiri
Contigerit victori et praedae dicere sortem,
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus; ipsum illum, clipeum cristasque rubentes.
Excipiam sorti, iam nunc tua praemia, Nise.
Praeterea bis sex genitor lectissima matrum
Corpora captivosque dabit suaque omnibus arma.
Insuper his campi quod rex habet ipse Latinus.
Te vero, mea quem spatiis propioribus aetas
Insequitur, venerande puer, iam pectore toto
Accipio et comitem casus amplector in omnes.
Nulla meis sine te quaeretur gloria rebus;
Seu pacem seu bella geram, tibi maxima rerum
Verborumque fides.' Contra quem talia fatur
Euryalus: 'Me nulla dies tam fortibus ausis
Dissimilem arguerit; tantum; fortuna secunda
Aut adversa cadat. Sed te super omnia dona
Unum oro: genetrix Priami de gente vetusta
Est mihi, quam miseram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non moenia regis Acestae.
Hanc ego nunc ignaram huius quodcumque pericli est
Inque salutatam linquo; nox et tua testis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
At tu, oro, solare inopem et succurre relictae.
Hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo
In casus omnes.' Percussa mente dedere
Dardanidae lacrimas, ante omnes pulcher Iulus,
Atque animum patriae strinxit pietatis imago.
Tum sic effatur:
'Sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis.

115. *v.l.* tantum fortuna secunda, haud adversa cadat.

Namque erit ista mihi genetrix, nomenque Creusae
Solum defuerit, nec partum gratia talem
Parva manet. Casus factum quicumque sequentur,
Per caput hoc iuro, per quod pater ante solebat:
Quae tibi polliceor reduci rebusque secundis,
Haec eadem matrique tuae generique manebunt.'
Sic ait inlacrimans, umero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
Gnosius atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias, galeam fidus permutat Aletes.
Protinus armati incedunt; quos omnis euntes
Primorum manus ad portas, iuvenumque senumque,
Prosequitur votis. Nec non et pulcher Iulus
Ante annos animumque gerens curamque virilem,
Multa patri mandata dabat portanda; sed aurae
Omnia discerpunt et nubibus inrita donant.
  Egressi superant fossas noctisque per umbram
Castra inimica petunt multis tamen ante futuri
Exitio. Passim somno vinoque per herbam
Corpora fusa vident, arrectos litore currus,
Inter lora rotasque viros, simul arma iacere,
Vina simul. Prior Hyrtacides sic ore locutus:
'Euryale, audendum dextra, nunc ipsa vocat res.
Hac iter est. Tu ne qua manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi et consule longe;
Haec ego vasta dabo et lato te limite ducam.'
Sic memorat vocemque premit, simul ense superbum
Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis
Exstructus toto proflabat pectore somnum,
Rex idem et regi Turno gratissimus augur,
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tres iuxta famulos temere inter tela iacentes
Armigerumque Remi premit aurigamque sub ipsis
Nactus equis ferroque secat pendentia colla;

Tum caput ipsi aufert domino truncumque relinquit
Sanguine singultantem; atro tepefacta cruore
Terra torique madent. Nec non Lamyrumque Lamumque
Et iuvenem Serranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque iacebat
Membra deo victus; felix, si protinus illum
Aequasset nocti ludum in lucemque tulisset.
Impastus ceu plena leo per ovilia turbans—
Suadet enim vesana fames—manditque trahitque
Molle pecus mutumque metu, fremit ore cruento.
Nec minor Euryali caedes; incensus et ipse
Perfurit ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque Herbesumque subit Rhoetumque Abarimque
Ignaros; Rhoetum vigilantem et cuncta videntem,
Sed magnum metuens se post cratera tegebat;
Pectore in adverso totum cui comminus ensem
Condidit adsurgenti et multa morte recepit
Purpureum. Vomit ille animam et cum sanguine mixta
Vina refert moriens, hic furto fervidus instat.
Iamque ad Messapi socios tendebat; ibi ignem
Deficere extremum et religatos rite videbat
Carpere gramen equos; breviter cum talia Nisus—
Sensit enim nimia caede atque cupidine ferri—
'Absistamus,' ait; 'nam lux inimica propinquat.
Poenarum exhaustum satis est, via facta per hostes.'
Multa virum solido argento perfecta relinquunt
Armaque craterasque simul pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis
Cingula, Tiburti Remulo ditissimus olim
Quae mittit dona, hospitio cum iungeret absens,
Caedicus; ille suo moriens dat habere nepoti;
Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti;
Haec rapit atque umeris nequiquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem cristisque decoram
Induit. Excedunt castris et tuta capessunt.

Interea praemissi equites ex urbe Latina,
Cetera dum legio campis instructa moratur,
Ibant et Turno regi responsa ferebant,
Ter centum, scutati omnes, Volscente magistro.
Iamque propinquabant castris muroque subibant,
Cum procul hos laevo flectentes limite cernunt
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum. Conclamat ab agmine Volscens:
'State, viri. Quae causa viae? quive estis in armis?
Quove tenetis iter?' Nihil illi tendere contra,
Sed celerare fugam in silvas et fidere nocti.
Obiciunt equites sese ad divortia nota
Hinc atque hinc omnemque abitum custode coronant.
Silva fuit late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi complebant undique sentes,
Rara per occultos lucebat semita calles.
Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda
Impediunt fallitque timor regione viarum.
Nisus abit; iamque imprudens evaserat hostes
Ac lucos, qui post Albae de nomine dicti
Albani, tum rex stabula alta Latinus habebat;
Ut stetit et frustra absentem respexit amicum:
'Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quave sequar?' Rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis silvae simul et vestigia retro
Observata legit dumisque silentibus errat.
Audit equos, audit strepitus et signa sequentum.
Nec longum in medio tempus, cum clamor ad aures
Pervenit ac videt Euryalum, quem iam manus omnis
Fraude loci et noctis subito turbante tumultu
Oppressum rapit et conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi iuvenem, quibus audeat armis
Eripere? an sese medios moriturus in enses
Inferat et pulchram properet per vulnera mortem?

Ocius adducto torquens hastile lacerto
Suspiciens altam Lunam sic voce precatur:
'Tu, dea, tu praesens nostro succurre labori,
Astrorum decus et nemorum Latonia custos.
Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo aut sacra ad fastigia fixi,
Hunc sine me turbare globum et rege tela per auras.'
Dixerat et toto conixus corpore ferrum
Conicit. Hasta volans noctis diverberat umbras
Et venit aversi in tergum Sulmonis ibique
Frangitur ac fisso transit praecordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
Frigidus et longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure.
Dum trepidant, it hasta Tago per tempus utrumque
Stridens traiectoque haesit tepefacta cerebro.
Saevit atrox Volscens nec teli conspicit usquam
Auctorem nec quo se ardens immittere possit.
'Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
Persolves amborum,' inquit; simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens,
Conclamat Nisus nec se celare tenebris
Amplius aut tantum potuit perferre dolorem:
'Me, me, adsum qui feci, in me convertite ferrum,
O Rutuli! mea fraus omnis, nihil iste nec ausus
Nec potuit; caelum hoc et conscia sidera testor;
Tantum infelicem nimium dilexit amicum.'
Talia dicta dabat, sed viribus ensis adactus
Transabiit costas et candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto pulchrosque per artus
It cruor inque umeros cervix conlapsa recumbit;
Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens lassove papavera collo

Demisere caput pluvia cum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios solumque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes hinc comminus atque hinc
Proturbant. Instat non setius ac rotat ensem
Fulmineum, donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso et moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimum sese proiecit amicum
Confossus placidaque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet aevo,
Dum domus Aeneae Capitoli immobile saxum
Accolet imperiumque patrum Romanus habebit.
Victores praeda Rutuli spoliisque potiti
Volscentem exanimum flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus Rhamnete reperto
Exsangui et primis una tot caede peremptis,
Serranoque Numaque. Ingens concursus ad ipsa
Corpora seminecesque viros tepidaque recentem
Caede locum et plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se galeamque nitentem
Messapi et multo phaleras sudore receptas.
Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile,
Iam sole infuso, iam rebus luce retectis
Turnus in arma viros armis circumdatus ipse
Suscitat, aeratasque acies in proelia cogit
Quisque suas variisque acuunt rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis—visu miserabile—in hastis
Praefigunt capita et multo clamore sequuntur
Euryali et Nisi.
Aeneadae duri murorum in parte sinistra
Opposuere aciem—nam dextera cingitur amni—
Ingentesque tenent fossas et turribus altis

Stant maesti; simul ora virum praefixa movebant
Nota nimis miseris atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit matrisque adlabitur aures
Euryali. At subitus miserae calor ossa reliquit,
Excussi manibus radii revolutaque pensa.
Evolat infelix et femineo ululatu
Scissa comam muros amens atque agmina cursu
Prima petit, non illa virum, non illa pericli
Telorumque memor, caelum dehinc questibus implet:
'Hunc ego te, Euryale, adspicio? tune ille senectae
Sera meae requies, potuisti linquere solam
Crudelis? nec te sub tanta pericula missum
Adfari extremum miserae data copia matri?
Heu, terra ignota canibus date praeda Latinis
Alitibusque iaces, nec te tua funere mater
Produxi pressive oculos aut vulnera lavi
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
Urgebam et tela curas solabar aniles.
Quo sequar? aut quae nunc artus avulsaque membra
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te
Nate, refers? hoc sum terraque marique secuta?
Figite me, si qua est pietas, in me omnia tela
Conicite, o Rutuli, me primam absumite ferro;
Aut tu, magne pater divum, miserere tuoque
Invisum hoc detrude caput sub Tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.'
Hoc fletu concussi animi, maestusque per omnes
It gemitus, torpent infractae ad proelia vires.
Illam incendentem luctus Idaeus et Actor
Ilionei monitu et multum lacrimantis Iuli
Corripiunt interque manus sub tecta reponunt.

318. *v. l.* data.

LV

A ROMAN FISH STORY

(PLINY, *Ep.* ix. 33.)

C. PLINIUS CANINIO SUO S.

[1] Incidi in materiam veram, sed simillimam fictae dignamque isto laetissimo, altissimo, planeque poetico ingenio, incidi autem, dum super cenam varia miracula hinc inde referuntur. Magna auctori fides; tametsi quid poetae cum fide? Is tamen auctor cui bene vel historiam scripturus credidisses.

[2] Est in Africa Hipponensis colonia, mari proxima: adiacet navigabile stagnum: ex hoc in modum fluminis aestuarium emergit, quod vice alterna, prout aestus aut repressit aut impulit, nunc infertur mari nunc redditur stagno. [3] Omnis hic aetas piscandi, navigandi, atque etiam natandi studio tenetur, maxime pueri, quos otium lususque sollicitat. His gloria et virtus altissime provehi; victor ille qui longissime ut litus ita simul natantes reliquit. [4] Hoc certamine puer quidam audentior ceteris in ulteriora tendebat. Delphinus occurrit, et nunc praecedere puerum, nunc sequi, nunc circumire, postremo subire, deponere, iterum subire, trepidantemque perferre primum in altum, mox flectit ad litus redditque terrae et aequalibus. [5] Serpit per coloniam fama: concurrere omnes, ipsum puerum tamquam miraculum aspicere, interrogare, audire, narrare. Postero die obsident litus, prospectant mare et si quid est mari simile. Natant pueri; inter hos ille, sed cautius. Delphinus rursus ad tempus, rursus ad puerum venit. Fugit ille cum ceteris. Delphinus, quasi invitet et revocet, exsilit, mergitur variosque orbes implicitat expeditque. [6] Hoc altero die, hoc tertio, hoc pluribus, donec homines innutritos mari subiret timendi pudor. Accedunt et adludunt

et appellant, tangunt etiam pertractantque praebentem. Crescit audacia experimento. Maxime puer qui primus expertus est adnatantis insilit tergo, fertur referturque, agnosci se, amari putat, amat ipse: neuter timet, neuter timetur: huius fiducia, mansuetudo illius augetur. [7] Nec non alii pueri dextra laevaque simul eunt hortantes monentesque. Ibat una—id quoque mirum—delphinus alius, tantum spectator et comes. Nihil enim simile aut faciebat aut patiebatur, sed alterum illum ducebat reducebatque, ut puerum ceteri pueri. [8] Incredibile, tam verum tamen quam priora, delphinum gestatorum conlusoremque puerorum in terram quoque extrahi solitum harenisque siccatum, ubi incaluisset, in mare revolvi. [9] Constat Octavium Avitum, legatum pro consule, in litus educto religione prava superfudisse unguentum, cuius illum novitatem odoremque in altum refugisse, nec nisi post multos dies visum languidum et maestum, mox redditis viribus priorem lasciviam et solita ministeria repetisse. [10] Confluebant omnes ad spectaculum magistratus, quorum adventu et mora modica res publica novis sumptibus atterebatur. Postremo locus ipse quietem suam secretumque perdebat. Placuit occulte interfici ad quod coibatur. [11] Haec tu qua miseratione, qua copia deflebis, ornabis, attolles! Quamquam non est opus adfingas aliquid aut adstruas: sufficit ne ea quae sunt vera minuantur. Vale.

LVI

'SWEET CATULLUS'S ALL-BUT-ISLAND'

(Catullus, xxxi.)

Paene insularum, Sirmio, insularumque
Ocelle, quascumque in liquentibus stagnis
Marique vasto fert uterque Neptunus,
Quam te libenter quamque laetus inviso,

Vix mi ipse credens Thyniam atque Bithynos
Liquisse campos et videre te in tuto!
O quid solutis est beatius curis
Cum mens onus reponit, ac peregrino
Labore fessi venimus larem ad nostrum
Desideratoque adquiescimus lecto.
Hoc est quod unum est pro laboribus tantis.
Salve, o venusta Sirmio, atque ero gaude:
Gaudete vosque, o Libuae lacus undae:
Ridete, quidquid est domi cachinnorum.

LVII

THE ERUPTION OF VESUVIUS, A.D. 79

(PLINY, *Ep.* vi. 16.)

C. PLINIUS TACITO SUO S.

[1] Petis ut tibi avunculi mei exitum scribam, quo verius tradere posteris possis. Gratias ago: nam video morti eius, si celebretur a te, immortalem gloriam esse propositam. [2] Quamvis enim pulcherrimarum clade terrarum, ut populi, ut urbes, memorabili casu quasi semper victurus occiderit, quamvis ipse plurima opera et mansura condiderit, multum tamen perpetuitati eius scriptorum tuorum aeternitas addet. [3] Equidem beatos puto quibus deorum munere datum est aut facere scribenda aut scribere legenda, beatissimos vero quibus utrumque. Horum in numero avunculus meus et suis libris et tuis erit. Quo libentius suscipio, deposco etiam quod iniungis.

[4] Erat Miseni classemque imperio praesens regebat. Nonum Kal. Septembres, hora fere septima, mater mea indicat ei apparere nubem inusitata et magnitudine et specie. [5] Usus ille sole, mox frigida, gustaverat iacens studebatque: poscit soleas, ascendit locum ex quo maxime

miraculum illud conspici poterat. Nubes, incertum procul intuentibus ex quo monte (Vesuvium fuisse postea cognitum est), oriebatur, cuius similitudinem et formam non alia magis arbor quam pinus expresserit. [6] Nam longissimo velut trunco elata in altum quibusdam ramis diffundebatur, credo, quia recenti spiritu evecta, dein senescente eo destituta aut etiam pondere suo victa in latitudinem vanescebat; candida interdum, interdum sordida et maculosa, prout terram cineremve sustulerat. [7] Magnum propiusque noscendum, ut eruditissimo viro, visum. Iubet Liburnicam aptari: mihi, si venire una vellem, facit copiam: respondi studere me malle, et forte ipse quod scriberem dederat. [8] Egrediebatur domo: accipit codicillos Rectinae Tasci imminenti periculo exterritae (nam villa eius subiacebat, nec ulla nisi navibus fuga): ut se tanto discrimine eriperet, orabat. [9] Vertit ille consilium et quod studioso animo incohaverat obit maximo. Deducit quadriremes, ascendit ipse, non Rectinae modo sed multis (erat enim frequens amoenitas orae) laturus auxilium. [10] Properat illuc unde alii fugiunt, rectumque cursum, recta gubernacula in periculum tenet, adeo solutus metu ut omnes illius mali motus, omnes figuras, ut deprenderat oculis, dictaret enotaretque. [11] Iam navibus cinis incidebat, quo propius accederent, calidior et densior, iam pumices etiam nigrique et ambusti et fracti igne lapides, iam vadum subitum ruinaque montis litora obstantia. Cunctatus paulum an retro flecteret, mox gubernatori ut ita faceret monenti, 'fortes' inquit 'fortuna iuvat: Pomponianum pete.' [12] Stabiis erat, diremptus sinu medio; nam sensim circumactis curvatisque litoribus mare infunditur. Ibi, quamquam nondum periculo appropinquante, conspicuo tamen, et cum cresceret, proximo, sarcinas contulerat in naves, certus fugae, si contrarius ventus resedisset: quo tunc avunculus meus secundissimo invectus complectitur trepi-

dantem, consolatur, hortatur, utque timorem eius sua securitate leniret, deferri in balineum iubet: lotus accubat, cenat aut hilaris aut, quod est aeque magnum, similis hilari. [13] Interim e Vesuvio monte pluribus in locis latissimae flammae altaque incendia relucebant, quorum fulgor et claritas tenebris noctis excitabatur. Ille agrestium trepidatione ignes relictos desertasque villas per solitudinem ardere in remedium formidinis dictitabat. Tum se quieti dedit, et quievit verissimo quidem somno. Nam meatus animae, qui illi propter amplitudinem corporis gravior et sonantior erat, ab eis qui limini obversabantur audiebatur. [14] Sed area ex qua diaeta adibatur ita iam cinere mixtisque pumicibus oppleta surrexerat ut, si longior in cubiculo mora, exitus negaretur. Excitatus procedit seque Pomponiano ceterisque qui pervigilaverant reddit. [15] In commune consultant, intra tecta subsistant an in aperto vagentur. Nam crebris vastisque tremoribus tecta nutabant et quasi emota sedibus suis nunc huc nunc illuc abire aut referri videbantur. [16] Sub dio rursus quamquam levium exesorumque pumicum casus metuebatur: quod tamen periculorum collatio elegit. Et apud illum quidem ratio rationem, apud alios timorem timor vicit. Cervicalia capitibus imposita linteis constringunt: id munimentum adversus incidentia fuit. [17] Iam dies alibi, illic nox omnibus noctibus nigrior densiorque: quam tamen faces multae variaque lumina solabantur. Placuit egredi in litus et ex proximo aspicere ecquid iam mare admitteret; quod adhuc vastum et adversum permanebat. [18] Ibi super abiectum linteum recubans semel atque iterum frigidam aquam poposcit hausitque. Deinde flammae flammarumque praenuntius odor sulpuris alios in fugam vertunt, excitant illum. [19] Innitens servolis duobus adsurrexit, et statim concidit, ut ego colligo, crassiore caligine spiritu obstructo clausoque stomacho, qui illi natura invalidus et

angustus et frequenter aestuans erat. [20] Ubi dies redditus (is ab eo quem novissime viderat tertius), corpus inventum integrum, inlaesum opertumque ut fuerat indutus: habitus corporis quiescenti quam defuncto similior. [21] Interim Miseni ego et mater. Sed nihil ad historiam, nec tu aliud quam de exitu eius scire voluisti. [22] Finem ergo faciam. Unum adiciam, omnia me quibus interfueram quaeque statim, cum maxime vera memorantur, audieram persecutum. Tu potissima excerpes. Aliud est enim epistulam aliud historiam, aliud amico aliud omnibus scribere. Vale.

LVIII

THE HERDSMAN'S LIFE

(Verg. *Geor.* iii. 294.)

Nunc, veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
incipiens stabulis edico in mollibus herbam
carpere oves, dum mox frondosa reducitur aestas,
et multa duram stipula filicumque maniplis
sternere subter humum, glacies ne frigida laedat
molle pecus scabiemque ferat turpesque podagras.
post hinc digressus iubeo frondentia capris
arbuta sufficere et fluvios praebere recentes,
et stabula a ventis hiberno opponere soli
ad medium conversa diem, cum frigidus olim
iam cadit extremoque inrorat Aquarius anno.
hae quoque non cura nobis leviore tuendae,
nec minor usus erit, quamvis Milesia magno
vellera mutentur Tyrios incocta rubores:
densior hinc suboles, hinc largi copia lactis;
quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra,
laeta magis pressis manabunt flumina mammis.
nec minus interea barbas incanaque menta
Cinyphii tondent hirci saetasque comantes

usum in castrorum et miseris velamina nautis.
pascuntur vero silvas et summa Lycaei,
horrentesque rubos et amantes ardua dumos;
atque ipsae memores redeunt in tecta, suosque
ducunt, et gravido superant vix ubere limen.
ergo omni studio glaciem ventosque nivales,
quo minor est illis curae mortalis egestas,
avertes, victumque feres et virgea laetus
pabula, nec tota claudes faenilia bruma.
at vero Zephyris cum laeta vocantibus aestas
in saltus utrumque gregem atque in pascua mittet,
Luciferi primo cum sidere frigida rura
carpamus, dum mane novum, dum gramina canent,
et ros in tenera pecori gratissimus herba.
inde, ubi quarta sitim caeli collegerit hora
et cantu querulae rumpent arbusta cicadae,
ad puteos aut alta greges ad stagna iubebo
currentem ilignis potare canalibus undam;
aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
sicubi magna Iovis antiquo robore quercus
ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra;
tum tenues dare rursus aquas et pascere rursus
solis ad occasum, cum frigidus aëra vesper
temperat, et saltus reficit iam roscida luna,
litoraque alcyonem resonant, acalanthida dumi.
Quid tibi pastores Libyae, quid pascua versu
prosequar et raris habitata mapalia tectis?
saepe diem noctemque et totum ex ordine mensem
pascitur itque pecus longa in deserta sine ullis
hospitiis: tantum campi iacet. omnia secum
armentarius Afer agit, tectumque Laremque
armaque Amyclaeumque canem Cressamque pharetram;
non secus ac patriis acer Romanus in armis
iniusto sub fasce viam cum carpit, et hosti

ante exspectatum positis stat in agmine castris.
At non, qua Scythiae gentes Maeotiaque unda,
turbidus et torquens flaventes Hister arenas,
quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.
illic clausa tenent stabulis armenta, nec ullae
aut herbae campo apparent aut arbore frondes;
sed iacet aggeribus niveis informis et alto
terra gelu late septemque adsurgit in ulnas.
semper hiemps, semper spirantes frigora Cauri.
tum Sol pallentes haud umquam discutit umbras,
nec cum invectus equis altum petit aethera, nec cum
praecipitem Oceani rubro lavit aequore currum.
concrescunt subitae currenti in flumine crustae,
undaque iam tergo ferratos sustinet orbes,
puppibus illa prius, patulis nunc hospita plaustris:
aeraque dissiliunt vulgo, vestesque rigescunt
indutae, caeduntque securibus humida vina,
et totae solidam in glaciem vertere lacunae
stiriaque impexis induruit horrida barbis.
interea toto non setius aëre ninguit:
intereunt pecudes, stant circumfusa pruinis
corpora magna boum, confertoque agmine cervi
torpent mole nova et summis vix cornibus exstant.
hos non immissis canibus, non cassibus ullis
puniceaeve agitant pavidos formidine pennae;
sed frustra oppositum trudentis pectore montem
comminus obtruncant ferro, graviterque rudentes
caedunt et magno laeti clamore reportant.
ipsi in defossis specubus secura sub alta
otia agunt terra congestaque robora totasque
advolvere focis ulmos ignique dedere.
hic noctem ludo ducunt, et pocula laeti
fermento atque acidis imitantur vitea sorbis.
talis Hyperboreo septem subiecta trioni
gens effrena virum Rhipaeo tunditur Euro,
et pecudum fulvis velatur corpora saetis.

LIX

A SAVAGE HOME

(Ovid, *Trist.* iii. 10.)

(*Ovid was exiled by the emperor Augustus to Tomi, a town on the west coast of the Black Sea. In this poem he describes the miseries of his life there.*)

Siquis adhuc istic meminit Nasonis adempti,
  Et superest sine me nomen in urbe meum,
Suppositum stellis numquam tangentibus aequor
  Me sciat in media vivere barbarie.
Sauromatae cingunt, fera gens, Bessique Getaeque,
  Quam non ingenio nomina digna meo!
Dum tamen aura tepet, medio defendimur Histro:
  Ille suis liquidus bella repellit aquis;
At cum tristis hiems squalentia protulit ora,
  Terraque marmoreo candida facta gelu est,
Dum vetat et Boreas et nix habitare sub Arcto,
  Tum liquet has gentes axe tremente premi.
Nix iacet, et iactam nec sol pluviaeve resolvunt:
  Indurat Boreas perpetuamque facit.
Ergo ubi delicuit nondum prior, altera venit,
  Et solet in multis bima manere locis.
Tantaque commoti vis est Aquilonis, ut altas
  Aequet humo turres tectaque rapta ferat.
Pellibus et sutis arcent mala frigora braccis,
  Oraque de toto corpore sola patent.
Saepe sonant moti glacie pendente capilli,
  Et nitet inducto candida barba gelu.
Nudaque consistunt, formam servantia testae,
  Vina, nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
Quid loquar, ut vincti concrescant frigore rivi,
  Deque lacu fragiles effodiantur aquae?
Ipse, papyrifero qui non angustior amne
  Miscetur vasto multa per ora freto,

Caeruleos ventis latices durantibus, Hister
Congelat et tectis in mare serpit aquis.
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur, et undas
Frigore concretas ungula pulsat equi;
Perque novos pontes, subterlabentibus undis,
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.
Vix equidem credar: sed cum sint praemia falsi
Nulla, ratam debet testis habere fidem.
Vidimus ingentem glacie consistere pontum,
Lubricaque immotas testa premebat aquas.
Nec vidisse sat est: durum calcavimus aequor
Undaque non udo sub pede summa fuit.
Si tibi tale fretum quondam, Leandre, fuisset,
Non foret angustae mors tua crimen aquae.
Tum neque se pandi possunt delphines in auras
Tollere: conantes dura coercet hiems;
Et quamvis Boreas iactatis insonet alis,
Fluctus in obsesso gurgite nullus erit,
Inclusaeque gelu stabunt, ut marmore, puppes,
Nec poterit rigidas findere remus aquas.
Vidimus in glacie pisces haerere ligatos,
Sed pars ex illis tunc quoque viva fuit.
Sive igitur nimii Boreae vis saeva marinas.
Sive redundatas flumine cogit aquas,
Protinus, aequato siccis Aquilonibus Histro,
Invehitur celeri barbarus hostis equo:
Hostis equo pollens longeque volante sagitta
Vicinam late depopulatur humum.
Diffugiunt alii, nullisque tuentibus agros
Incustoditae diripiuntur opes:
Ruris opes parvae, pecus et stridentia plaustra,
Et quas divitias incola pauper habet.
Pars agitur vinctis post tergum capta lacertis,
Respiciens frustra rura laremque suum:
Pars cadit hamatis misere confixa sagittis:

Nam volucri ferro tinctile virus inest.
Quae nequeunt secum ferre aut abducere, perdunt,
Et cremat insontes hostica flamma casas.
Tunc quoque, cum pax est, trepidant formidine belli,
Nec quisquam presso vomere sulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt, hostem:
Cessat iners rigido terra relicta situ.
Non hic pampinea dulcis latet uva sub umbra,
Nec cumulant altos fervida musta lacus.
Poma negat regio: nec haberet Acontius, in quo
Scriberet hic dominae verba legenda suae.
Aspiceres nudos, sine fronde, sine arbore, campos:
Heu, loca felici non adeunda viro!
Ergo tam late pateat cum maximus orbis,
Haec est in poenam terra reperta meam?

LX

A ROMAN GOVERNOR'S TROUBLES

(*In the year* 51 B. C., *Cicero, much to his disgust, was appointed proconsul of the province of Cilicia. The first of these two letters, written at the beginning of his year of office, shows his annoyance at his enforced absence from Rome; the second, written at the end of the year, his eagerness to return.*)

I

(Cic. *Ad Att.* v. 15.)

Laodiceam veni pridie Kal. Sext. Ex hoc die clavum anni movebis. Nihil exoptatius adventu meo, nihil carius. Sed est incredibile quam me negotii taedeat. Non habeat satis magnum campum ille tibi non ignotus cursus animi, et industriae meae praeclara opera cesset? Quippe. Ius Laodiceae me dicere, cum Romae A. Plotius dicat! et cum exercitum noster amicus habeat tantum, me nomen habere duarum legionum exsilium! Denique haec non desidero: lucem, forum, urbem, domum, vos

desidero. Sed feram, ut potero, sit modo annuum. Si prorogatur, actum est. Verum perfacile resisti potest, tu modo Romae sis. . . . . ‘Clitellae bovi impositae sunt, plane non est nostrum onus’: sed feremus, modo, si me amas, sim annuus. Adsis tu ad tempus, ut senatum totum excites. Mirifice sollicitus sum, quod iam diu ignota sunt mihi ista omnia. Qua re, ut ad te ante scripsi, cum cetera tum res publica cura ut mihi nota sit. Epistulam sciebam tarde tibi redditum iri, sed dabam familiari homini ac domestico, C. Andronico Puteolano. Tu autem saepe dare tabellariis publicanorum poteris per magistros scripturae et portus nostrarum dioecesium.

II

(*Ad Att.* vi. 4.)

Tarsum venimus Nonis Iuniis. Ibi me multa moverunt: magnum in Syria bellum, magna in Cilicia latrocinia, mihi difficilis ratio administrandi, quod paucos dies habebam reliquos annui muneris, illud autem difficillimum: relinquendus erat ex senatus consulto qui praeesset. Nihil minus probari poterat quam quaestor Mescinius. Nam de Caelio nihil audiebamus. Rectissimum videbatur Q. fratrem cum imperio relinquere: in quo multa molesta, discessus noster, belli periculum, militum improbitas, sescenta praeterea. O rem totam odiosam! Sed haec fortuna viderit, quoniam consilio non multum uti licet. Tu, quando Romam salvus, ut spero, venisti, videbis, ut soles, omnia, quae intelleges nostra interesse, in primis de Tullia mea, cuius de condicione quid mihi placeret scripsi ad Terentiam, cum tu in Graecia esses: deinde de honore nostro: quod enim tu afuisti, vereor ut satis diligenter actum in senatu sit de litteris meis. . . . Tu autem fac ut mihi tuae litterae volent obviae. Haec festinans scripsi in itinere atque agmine. Piliae et puellae Caeciliae bellissimae salutem dices.

LXI

A JOURNEY THROUGH ITALY

(Hor. *Sat.* i. 5.)

(*Horace describes a journey from Rome to Brundisium; part of the way he was accompanied by Vergil and his patron Maecenas.*)

Egressum magna me excepit Aricia Roma
Hospitio modico; rhetor comes Heliodorus
Graecorum longe doctissimus; inde Forum Appi,
Differtum nautis cauponibus atque malignis.
Hoc iter ignavi divisimus, altius ac nos
Praecinctis unum; minus est gravis Appia tardis.
Hic ego propter aquam, quod erat deterrima, ventri
Indico bellum, cenantes haud animo aequo
Exspectans comites. Iam nox inducere terris
Umbras et caelo diffundere signa parabat;
Tum pueri nautis, pueris convicia nautae
Ingerere. Huc appelle! Trecentos inseris; ohe
Iam satis est! Dum aes exigitur, dum mula ligatur,
Tota abit hora. Mali culices ranaeque palustres
Avertunt somnos, absentem ut cantat amicam
Multa prolutus vappa nauta atque viator
Certatim. Tandem fessus dormire viator
Incipit, ac missae pastum retinacula mulae
Nauta piger saxo religat stertitque supinus.
Iamque dies aderat, nil cum procedere lintrem
Sentimus, donec cerebrosus prosilit unus
Ac mulae nautaeque caput lumbosque saligno
Fuste dolat: quarta vix demum exponimur hora.
Ora manusque tua lavimus, Feronia, lympha.
Milia tum pransi tria repimus atque subimus
Impositum saxis late candentibus Anxur.
Huc venturus erat Maecenas optimus atque

Cocceius, missi magnis de rebus uterque
Legati, aversos soliti componere amicos.
Hic oculis ego nigra meis collyria lippus
Inlinere. Interea Maecenas advenit atque
Cocceius Capitoque simul Fonteius, ad unguem
Factus homo, Antoni non ut magis alter amicus.
Fundos Aufidio Lusco praetore libenter
Linquimus, insani ridentes praemia scribae,
Praetextam et latum clavum prunaeque batillum.
In Mamurrarum lassi deinde urbe manemus,
Murena praebente domum, Capitone culinam.
Postera lux oritur multo gratissima; namque
Plotius et Varius Sinuessae Vergiliusque
Occurrunt, animae quales neque candidiores
Terra tulit neque quis me sit devinctior alter.
O qui complexus et gaudia quanta fuerunt!
Nil ego contulerim iucundo sanus amico.
Proxima Campano ponti quae villula, tectum
Praebuit, et parochi quae debent ligna salemque.
Hinc muli Capuae clitellas tempore ponunt.
Lusum it Maecenas, dormitum ego Vergiliusque;
Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.
Hinc nos Coccei recipit plenissima villa
Quae super est Caudi cauponas. . . . .
Tendimus hinc recta Beneventum, ubi sedulus hospes
Paene macros arsit dum turdos versat in igni;
Nam vaga per veterem dilapso flamma culinam
Volcano summum properabat lambere tectum.
Convivas avidos cenam servosque timentes
Tum rapere, atque omnes restinguere velle videres.
Incipit ex illo montes Apulia notos
Ostentare mihi, quos torret Atabulus et quos
Numquam erepsemus nisi nos vicina Trivici
Villa recepisset, lacrimoso non sine fumo,
Udos cum foliis ramos urente camino. . . . .

Quattuor hinc rapimur viginti et milia raedis,
Mansuri oppidulo quod versu dicere non est,
Signis perfacile est. Venit vilissima rerum
Hic aqua; sed panis longe pulcherrimus, ultra
Callidus ut soleat umeris portare viator:
Nam Canusi lapidosus, aquae non ditior urna
Qui locus a forti Diomede est conditus olim.
Flentibus hinc Varius discedit maestus amicis.
Inde Rubos fessi pervenimus, utpote longum
Carpentes iter et factum corruptius imbri.
Postera tempestas melior, via peior ad usque
Bari moenia piscosi; dein Gnatia Lymphis
Iratis exstructa dedit risusque iocosque,
Dum flamma sine tura liquescere limine sacro
Persuadere cupit. Credat Iudaeus Apella,
Non ego: namque deos didici securum agere aevum,
Nec si quid miri faciat natura, deos id
Tristes ex alto caeli demittere tecto.
Brundisium longae finis chartaeque viaeque est.

LXII

THE TALE OF CORIOLANUS

(Livy ii. 33.)

(*One of the most serious questions that the Roman Republic had to face in its early days was the claim of the plebeians to political equality with the patricians. Finding their demands ignored, the plebeians in* 494 B.C. *left Rome in a body, and were only induced to return by permission to elect magistrates of their own, called tribunes, who possessed almost unlimited power to protect their own order against the patrician magistrates. With what feelings the patricians regarded the tribunes can be judged from the following story.*)

I

XXXIII. [4] Per secessionem plebis Sp. Cassius et Postumus Cominius consulatum inierant; eis consulibus cum Latinis populis ictum foedus. Ad id feriendum consul alter Romae mansit: alter ad Volscum bellum missus Antiates Volscos fundit fugatque, compulsos in oppidum Longulam persecutus moenibus potitur. [5] Inde protinus Poluscam item Volscorum cepit, tum magna vi adortus est Coriolos. Erat tum in castris inter primores iuvenum Cn. Marcius, adulescens et consilio et manu promptus, cui cognomen postea Coriolano fuit. [6] Cum subito exercitum Romanum Coriolos obsidentem atque in oppidanos, quos intus clausos habebat, intentum sine ullo metu extrinsecus imminentis belli Volscae legiones profectae ab Antio invasissent, eodemque tempore ex oppido erupissent hostes, forte in statione Marcius fuit. [7] Is cum delecta militum manu non modo impetum erumpentium retudit, sed per patentem portam ferox inrupit in proxima urbis, caedeque facta ignem temere arreptum imminentibus muro aedificiis iniecit. [8] Clamor inde oppidanorum mixtus muliebri puerilique ploratu ad terrorem, ut solet, primum ortus et Romanis auxit animum et turbavit Volscos, utpote capta urbe, qui ad ferendam opem venerant. [9] Ita fusi Volsci Antiates, Corioli oppidum captum. Tantumque sua laude obstitit famae consulis Marcius, ut, nisi foedus cum Latinis columna aenea insculptum monumento esset, ab Sp. Cassio uno, quia collega afuerat, ictum, Postumum Cominium bellum gessisse cum Volscis memoria cessisset.

XXXIV. [1] Consules deinde T. Geganius, P. Minucius facti. Eo anno cum et foris quieta omnia a bello essent et domi sanata discordia, aliud multo gravius malum civitatem invasit, [2] caritas primum annonae ex incultis per secessionem plebis agris, fames deinde, qualis clausis solet; [3] ventumque ad interitum servitiorum utique et

plebis esset, ni consules providissent dimissis passim ad frumentum coemendum non in Etruriam modo, dextris ab Ostia litoribus, laevoque per Volscos mari usque ad Cumas, sed quaesitum in Siciliam quoque: adeo finitimorum odia longinquis coegerant indigere auxiliis. [4] Frumentum Cumis cum coemptum esset, naves pro bonis Tarquiniorum ab Aristodemo tyranno, qui heres erat, retentae sunt. In Volscis Pomptinoque ne emi quidem potuit; periculum quoque ab impetu hominum ipsis frumentatoribus fuit. [5] Ex Tuscis frumentum Tiberi venit: eo sustenta est plebs. Incommodo bello in tam artis commeatibus vexati forent, ni Volscos iam moventes arma pestilentia ingens invasisset. [6] Ea clade conterritis hostium animis, ut etiam, ubi ea remisisset, terrore aliquo tenerentur, et Velitris auxere numerum colonorum Romani, et Norbam in montes novam coloniam, quae arx in Pomptino esset, miserunt.

[7] M. Minucio deinde et A. Sempronio consulibus magna vis frumenti ex Sicilia advecta, agitatumque in senatu, quanti plebi daretur. [8] Multi venisse tempus premendae plebis putabant recuperandique iura, quae extorta secessione ac vi patribus essent. In primis Marcius Coriolanus, hostis tribuniciae potestatis, [9] 'Si annonam,' inquit, 'veterem volunt, ius pristinum reddant patribus. Cur ego plebeios magistratus, cur Sicinium potentem video, sub iugum missus, tamquam a latronibus redemptus? [10] Egone has indignitates diutius patiar quam necesse est? Tarquinium regem qui non tulerim, Sicinium feram? Secedat nunc, avocet plebem: patet via in Sacrum Montem aliosque colles. Rapiant frumenta ex agris, quem ad modum tertio anno rapuere. [11] Fruantur annona, quam furore suo fecere. Audeo dicere hoc malo domitos ipsos potius agrorum cultores fore, quam ut armati per secessionem coli prohibeant.' [12] Haud tam facile dictu est, faciendumne fuerit, quam

potuisse arbitror fieri, ut condicionibus laxandi annonam et tribuniciam potestatem et omnia invitis iura imposita patres demerent sibi.

XXXV. [1] Et senatui nimis atrox visa sententia est, et plebem ira prope armavit: fame se iam sicut hostes peti, cibo victuque fraudari; peregrinum frumentum, quae sola alimenta ex insperato fortuna dederit, ab ore rapi, nisi Gnaeo Marcio vincti dedantur tribuni, nisi de tergo plebis Romanae satisfiat. Eum sibi carnificem novum exortum, qui aut mori aut servire iubeat. [2] In exeuntem e curia impetus factus esset, ni peropportune tribuni diem dixissent. Ibi ira est suppressa: se iudicem quisque, se dominum vitae necisque inimici factum videbat. [3] Contemptim primo Marcius audiebat minas tribunicias: auxilii non poenae ius datum illi potestati, plebisque non patrum tribunos esse. [4] Sed adeo infensa erat coorta plebs, ut unius poena defungendum esset patribus. Restiterunt tamen adversa invidia, usique sunt qua suis quisque, qua totius ordinis viribus. Ac primo temptata res est, si dispositis clientibus absterrendo singulos a coitionibus conciliisque, disicere rem possent. [5] Universi deinde processere—quidquid erat patrum reos diceres—precibus plebem exposcentes, unum sibi civem, unum senatorem, si innocentem absolvere nollent, pro nocente donarent. [6] Ipse cum die dicta non adesset, perseveratum in ira est. Damnatus absens in Volscos exsulatum abiit, minitans patriae hostilesque iam tum spiritus gerens. Venientem Volsci benigne excepere, benigniusque in dies colebant, quo maior ira in suos eminebat, crebraeque nunc querellae nunc minae percipiebantur. [7] Hospitio utebatur Atti Tulli. Longe is tum princeps Volsci nominis erat, Romanisque semper infestus. Ita cum alterum vetus odium, alterum ira recens stimularet, consilia conferunt de Romano bello. [8] Haud facile credebant plebem suam impelli posse, ut totiens

infeliciter temptata arma caperent. Multis saepe bellis, pestilentia postremo amissa iuventute fractos spiritus esse: arte agendum in exoleto iam vetustate odio, ut recenti aliqua ira exacerbarentur animi.

(*Attius Tullius by a trick induces the Volscians to declare war.*)

XXXIX. [1] Imperatores ad id bellum de omnium populorum sententia lecti Attius Tullius et Cn. Marcius, exsul Romanus, in quo aliquanto plus spei repositum. [2] Quam spem nequaquam fefellit, ut facile appareret ducibus validiorem quam exercitu rem Romanam esse. Circeios profectus primum colonos inde Romanos expulit, liberamque eam urbem Volscis tradidit. [3] Inde in Latinam viam transversis tramitibus transgressus Satricum Longulam Poluscam Coriolos Mugillam, haec Romanis oppida ademit. [4] Inde Lavinium recipit, tum deinceps Corbionem Vitelliam Trebium Labicos Pedum cepit. [5] Postremum ad urbem a Pedo ducit, et ad fossas Cluilias quinque ab urbe milia passuum castris positis populatur inde agrum Romanum custodibus inter populatores missis, [6] qui patriciorum agros intactos servarent, sive infensus plebi, sive ut discordia inde inter patres plebemque oreretur. [7] Quae profecto orta esset—adeo tribuni iam ferocem per se plebem criminando in primores civitatis instigabant—sed externus timor, maximum concordiae vinculum, quamvis suspectos infensosque inter se iungebat animos. [8] Id modo non conveniebat, quod senatus consulesque nusquam alibi spem quam in armis ponebant, plebes omnia quam bellum malebat.

[9] Sp. Nautius iam et Sex. Furius consules erant. Eos recensentes legiones, praesidia per muros aliaque, in quibus stationes vigiliasque esse placuerat, loca distribuentes multitudo ingens pacem poscentium primum seditioso clamore conterruit, deinde vocare senatum,

referre de legatis ad Cn. Marcium mittendis coegit. [10] Acceperunt relationem patres, postquam apparuit labare plebis animos; missique de pace ad Marcium oratores. [11] Atrox responsum rettulerunt: si Volscis ager redderetur, posse agi de pace; si praeda belli per otium frui velint, memorem se et civium iniuriae et hospitum beneficii adnisurum, ut appareat exsilio sibi inritatos, non fractos animos esse. [12] Iterum deinde idem missi non recipiuntur in castra. Sacerdotes quoque suis insignibus velatos isse supplices ad castra hostium traditum est; nihilo magis quam legatos flexisse animum.

XL. [1] Tum matronae ad Veturiam matrem Coriolani Volumniamque uxorem frequentes coeunt. [2] Id publicum consilium an muliebris timor fuerit, parum invenio; pervicere certe, ut et Veturia magno natu mulier et Volumnia duos parvos ex Marcio ferens filios secum in castra hostium irent, et, quoniam armis viri defendere urbem non possent, mulieres precibus lacrimisque defenderent. [3] Ubi ad castra ventum est nuntiatumque Coriolano est adesse ingens mulierum agmen, primo, ut qui nec publica maiestate in legatis nec in sacerdotibus tanta offusa oculis animoque religione motus esset, multo obstinatior adversus lacrimas muliebres erat. [4] Dein familiarium quidam, qui insignem maestitia inter ceteras cognoverat Veturiam, inter nurum nepotesque stantem, 'Nisi me frustrantur,' inquit, 'oculi, mater tibi coniunxque et liberi adsunt.' [5] Coriolanus prope ut amens consternatus ab sede sua cum ferret matri obviae complexum, mulier in iram ex precibus versa, 'Sine, prius quam complexum accipio, sciam,' inquit, 'ad hostem an ad filium venerim, captiva materne in castris tuis sim. [6] In hoc me longa vita et infelix senecta traxit, ut exsulem te, deinde hostem viderim. Potuisti populari hanc terram, quae te genuit atque aluit? [7] Non tibi, quamvis infesto animo et minaci perveneras, ingredienti

fines ira cecidit? Non, cum in conspectu Roma fuit, succurrit, "Intra illa moenia domus ac penates mei sunt, mater, coniunx liberique?" [8] Ergo ego nisi peperissem, Roma non oppugnaretur; nisi filium haberem, libera in libera patria mortua essem. Sed ego nihil iam pati, nec tibi turpius nec mihi miserius, possum; nec, ut sum miserrima, diu futura sum: [9] de his videris, quos, si pergis, aut immatura mors aut longa servitus manet.' Uxor deinde ac liberi amplexi fletusque ab omni turba mulierum ortus et comploratio sui patriaeque fregere tandem virum. [10] Complexus inde suos dimittit; ipse retro ab urbe castra movit. Abductis deinde legionibus ex agro Romano invidia rei oppressum perisse tradunt alii alio leto. Apud Fabium longe antiquissimum auctorem, usque ad senectutem vixisse eundem invenio; [11] refert certe hanc saepe eum exacta aetate usurpasse vocem, multo miserius seni exsilium esse. Non inviderunt laude sua mulieribus viri Romani; adeo sine obtrectatione gloriae alienae vivebatur. Monumento quoque quod esset, templum Fortunae muliebri aedificatum dedicatumque est.

OXFORD : HORACE HART
PRINTER TO THE UNIVERSITY

ARNOLD'S SCHOOL SERIES.

Arnold's Home and Abroad Atlas.

Containing 24 full-page ($11\frac{1}{2} \times 9$ inches) maps, printed in colour. Bound in a stout paper wrapper. Price 8d. net.

CONTENTS.

1. The World.	9. Spain and Portugal.	18. Africa.
2. Europe.	10. Italy.	19. North America.
3. The United Kingdom.	11. Scandinavia.	20. South America.
4. Scotland.	12 & 13. England & Wales.	21. Canada.
5. Ireland.	14. The Balkan Peninsula	22. The United States.
6. France.	15. European Russia.	23. Australia.
7. The German Empire.	16. Asia.	24. South Africa, New Zealand, Tasmania.
8. Austria-Hungary.	17. India.	

The London School Atlas.

Edited by the Right Hon. H. O. ARNOLD-FORSTER, M.P. A magnificent Atlas, including 48 pages of Coloured Maps, and Pictorial Diagrams.

The size of the Atlas is about 12 by 9 inches, and it is issued in the following editions:

Stout paper wrapper, with cloth strip at back, 1s. 6d.
Paper boards, 2s.
Cloth cut flush, 2s. 6d.
Limp cloth, 3s.
Cloth gilt, bevelled edges, 3s. 6d.

A Manual of Physiography.

By ANDREW HERBERTSON, Ph.D., F.R.G.S., Reader in Regional Geography at the University of Oxford. Fully Illustrated. 4s. 6d.

Arnold's New Shilling Geography.

The World, with special reference to the British Empire. 160 pp. Crown 8vo., cloth, 1s.

The New Zealand Colony.

Its Geography and History. With Illustrations and Map. Cloth, 1s.

The Australian Commonwealth.

Its Geography and History. A reading book for Schools. 144 pages. With Illustrations and Coloured Map. Cloth, 1s.

A Historical Geography.

By the late Dr. MORRISON. New Edition, revised and largely re-written by W. L. CARRIE, Headmaster at George Watson's College, Edinburgh. Crown 8vo., cloth, 3s. 6d.

The Shilling Geography.

By the late Dr. MORRISON. New Edition, revised by W. L. CARRIE. Small crown 8vo., cloth, 1s.

The World's Great Powers—Present and Past.

Britain, France, Germany, Austria-Hungary, Italy, Russia, The United States, and Japan. Beautifully Illustrated. 1s. 6d.

The World's Trade and Traders.

The World's Divisions—Some Great Trading Spheres—Some Great Trading Centres—Some World Routes. Beautifully Illustrated. 1s. 6d.

Arnold's Geographical Handbooks.

A Series of 10 little Manuals providing accurate and clearly-arranged summaries of Geographical information. 3d. each; cloth, 6d.

LONDON: EDWARD ARNOLD, 41 & 43 MADDOX STREET, W.

ARNOLD'S SCHOOL SERIES.

LATIN.

ARNOLD'S LATIN TEXTS. General Editor, A. EVAN BERNAYS, M.A., Assistant Master at the City of London School. The object of the series is to supply short texts, adapted for lower forms, sufficient to provide one term's work. Each volume consists of a short introduction, text and vocabulary. 64 pages. Cloth limp, 8d. each.

HORACE.—Odes, Book I. By L. D. WAINWRIGHT, M.A., Assistant Master at St. Paul's School.

OVID.—Selections. By GEORGE YELD, M.A.

OVID IN EXILE.—Selections from the 'Tristia.' By L. D. WAINWRIGHT, M.A.

CORNELIUS NEPOS.—Select Lives. By L. D. WAINWRIGHT, M.A.

VERGIL.—Select Eclogues. By J. C. STOBART, M.A., Assistant Master at Merchant Taylors' School.

VERGIL.—Selections from the Georgics. By J. C. STOBART, M.A.

PHÆDRUS.—Select Fables. By Mrs. BROCK, formerly Assistant Mistress at the Ladies' College, Cheltenham.

TIBULLUS.—Selections. By F. J. DOBSON, B.A., Lecturer at Birmingham University.

CÆSAR in BRITAIN. By F. J. DOBSON, B.A.

CICERO.—In Catilinam, I. and II. By L. D. WAINWRIGHT, M.A.

CICERO.—Pro Archia. By Mrs. BROCK.

LIVY.—Selections. By R. M. HENRY, M.A., Classical Master at the Royal Academical Institution, Belfast.

THE FABLES OF ORBILIUS. By A. D. GODLEY, M.A., Fellow of Magdalen College, Oxford. With humorous Illustrations. Crown 8vo., cloth. Book I., 9d.; Book II., 1s.

DIES ROMANI. A new Latin Reading Book. Edited by W. F. WITTON, M.A., Classical Master at St. Olave's Grammar School. Crown 8vo., cloth, 1s. 6d.

SENTENCES FOR LATIN COMPOSITION. Based upon the Exercises in "Fables of Orbilius, Part II." By Rev. A. JAMSON SMITH, M.A., Headmaster of King Edward's Grammar School, Birmingham. Cloth, limp, 6d.

LIVY. Book XXVI. Edited, with Introduction and Notes, by R. M. HENRY, M.A. Cloth, 2s. 6d.

VIRGIL—ÆNEID. Books I., II., and III. The New Oxford Text, by special permission of the University. Edited, with Introduction and Notes, by M. T. TATHAM, M.A. Crown 8vo., cloth, 1s. 6d. each.

A FIRST LATIN COURSE. By G. B. GARDINER, M.A., D.Sc., and A. GARDINER, M.A. viii+227 pages. 2s.

A Key, on Teachers' direct order only, 2s. net.

A SECOND LATIN READER. With Notes and Vocabulary. By GEORGE B. GARDINER, M.A., D.Sc., and ANDREW GARDINER, M.A. Cloth, 1s. 6d.

A LATIN ANTHOLOGY FOR BEGINNERS. By GEORGE B. GARDINER, M.A., D.Sc., and A. GARDINER, M.A. Cloth, 2s.

A LATIN TRANSLATION PRIMER. With Grammatical Hints, Exercises and Vocabulary. By G. B. GARDINER and A. GARDINER, M.A. 1s.

CÆSAR'S GALLIC WAR. Books I. and II. Edited by T. W HADDON, M.A., and G. C HARRISON, M.A. With Notes, Maps, Plans, Illustrations, Helps for Composition, and Vocabulary. Cloth, 1s. 6d.
Books III.-V. Edited for the use of Schools by M. T. TATHAM, M.A. Uniform with Books I. and II. Crown 8vo., cloth, 1s. 6d.
Books VI. and VII. By M. T. TATHAM, M.A. Uniform with Books III.-V. 1s. 6d.

LONDON: EDWARD ARNOLD, 41 & 43 MADDOX STREET, W.

ARNOLD'S SCHOOL SERIES.

GRAMMAIRE FRANCAISE. A l'usage des Anglais. Par E. RENAULT, Officier d'Académie; Assistant Lecturer at the University of Liverpool. viii+360 pages. Crown 8vo., cloth, 4s. 6d.

FRENCH WITHOUT TEARS. A graduated Series of French Reading Books, carefully arranged to suit the requirements of quite young children beginning French. With Humorous Illustrations, Notes, and Vocabulary. By Lady BELL. Book I., 9d.; Book II., 1s.; Book III., 1s. 3d.

GRADUATED FRENCH UNSEENS. Edited by Professor VICTOR OGER, Professor in French at Bedford College for Women, London. In four parts. Limp cloth, 8d. each.

A FIRST FRENCH COURSE. Complete, with Grammar, Exercises and Vocabulary. By JAMES BOÏELLE, B.A. (Univ. Gall.). Cloth, 1s. 6d.

A FIRST FRENCH READER. With Exercises for Re-translation. Edited by W. J. GREENSTREET, M.A., Head Master of the Marling School, Stroud. Crown 8vo., cloth, 1s.

FRENCH DRAMATIC SCENES. By C. ABEL MUSGRAVE. With Notes and Vocabulary. Crown 8vo., cloth, 2s.

ARNOLD'S FRENCH TEXTS. An entirely new series of texts, graduated in difficulty, with notes and vocabulary. General Editor: MAURICE A. GEROTHWOHL, B.Litt., L.-ès-L., F.R.L.S., Examiner to the Central Welsh Board. Limp cloth, 6d. each.

Le Forçat ou A tout Péché Miséricorde. Proverb in two acts. By MADAME DE SÉGUR. 48 pages.

Aventures de Tom Pouce. By P. J. STAHL. 48 pages.

L'Histoire de la Mère Michel et de son Chat. By COMTE E. DE LA BEDOLLIÈRE. 48 pages.

Gribouille. By GEORGES SAND. 48 pages.

Laurette ou Le Cachet rouge. By ALFRED DE VIGNY. 48 pages.

La Souris blanche et Les Petits Souliers. By HÉGÉSIPPE MOREAU. 48 pages.

La Vie et ses de Polichinelle et ses Nombreuses Aventures. By OCTAVE FEUILLET. 48 pages.

Crispin rival de son Maître. Comedy in one act. By LE SAGE. 48 pages.

Le Bon Père. Comedy in one act. By FLORIAN. 64 pages.

Monsieur Tringle. By CHAMPFLEURY. 48 pages.

Aventures du Chevalier de Grammont. By Chevalier D'HAMILTON. 48 pages.

Histoire d'un Pointer écossais. By ALEXANDRE DUMAS père. 48 pages.

Deux Heroines de la Revolution. Madame Roland and Charlotte Corday. By JULES MICHELET. 48 pages.

Trafalgar. By JOSEPH MÉRY. 48 pages.

Marie Antoinette. By EDMOND and JULES DE GONCOURT. 48 pages.

Mercadet. A Comedy in three acts. By H. DE BALZAC. 64 pages.

SIMPLE FRENCH STORIES. An entirely new series of easy texts, with Notes, Vocabulary, and Table of Irregular Verbs, prepared under the General Editorship of Mr. L. VON GLEHN, Assistant Master at Perse School, Cambridge. About 80 pages in each volume. Limp cloth, 9d.

Un Drame dans les Airs. By JULES VERNE.

Pif-Paf. By EDOUARD LABOULAYE.

La Petite Souris Grise; and Histoire de Rosette. By MADAME DE SÉGUR.

Poucinet, and two other tales. By EDOUARD LABOULAYE.

Un Anniversaire à Londres, and two other stories. By P. J. STAHL.

Monsieur le Vent et Madame la Pluie. By PAUL DE MUSSET.

La Fée Grignotte. By Madame DE GIRARDIN. And **La Cuisine au Salon.** From Le Théâtre de Jeunesse.

Gil Blas in the Den of Thieves. Arranged from LE SAGE. With Notes and Vocabulary by R. DE BLANCHAUD, B.A., Assistant Master at the Central Schools, Aberdeen. Limp cloth, crown 8vo., 9d. [*Uniform with the above series.*

L'APPRENTI. By EMILE SOUVESTRE. Edited by C. F. HERDENER, French Master at Berkhamsted School. Crown 8vo., cloth, 1s.

RICHARD WHITTINGTON. By MADAME EUGENIE FOA. And **UN CONTE DE L'ABBE DE SAINT-PIERRE.** By EMILE SOUVESTRE. Edited by C. F. HERDENER. Crown 8vo., cloth, 1s.

MEMOIRES D'UN ANE. By MADAME DE SÉGUR, edited by Miss LUCY E. FARRER, Assistant in French at the Bedford College for Women, London. Cloth. Crown 8vo., 1s.

LONDON: EDWARD ARNOLD, 41 & 43 MADDOX STREET, W.

HISTORY.

A History of England. By C. W. OMAN, M.A., Chichele Professor of Modern History in the University of Oxford. Fully furnished with Maps, Plans of the Principal Battlefields, and Genealogical Tables. 760 pages. Thirteenth Edition (to end of South African War). Crown 8vo., cloth, 5s.

Special Editions, each volume containing a separate index.

In Two Parts, 3s. each : Part I., from the Earliest Times to 1603 ; Part II., from 1603 to 1902.

In Three Divisions : Division I., to 1307, 2s. ; Division II., 1307 to 1688, 2s. ; Division III., 1688 to 1902, 2s. 6d.

*** *In ordering please state the period required, to avoid confusion.*

England in the Nineteenth Century. By C. W. OMAN, M.A., Author of "A History of England," etc. With Maps and Appendices. Revised and Enlarged Edition. crown 8vo., 3s. 6d.

A Junior History of England. From the Earliest Times to the Death of Queen Victoria. By C. W. OMAN, M.A., and MARY OMAN. With Maps. Cloth, 2s.

Questions on Oman's History of England. By R. H. BOOKEY, M.A. Crown 8vo., cloth, 1s.

A Synopsis of English History. By C. H. EASTWOOD, Headmaster of Redheugh Board School, Gateshead. 2s.

This useful little book is based upon Mr. Oman's "History of England," but can be used with any other text-book.

Seven Roman Statesmen. A detailed Study of the Gracchi, Cato, Marius, Sulla, Pompey, Cæsar. Illustrated with reproductions of Roman Coins from the British Museum. By C. W. OMAN. About 320 pages. Crown 8vo., cloth, 6s.

English History for Boys and Girls. By E. S. SYMES, Author of "The Story of Lancashire," "The Story of London," etc. With numerous Illustrations. 2s. 6d.

Men and Movements in European History. Illustrated. Small crown 8vo., 1s. 6d.

Lessons in Old Testament History. By the Venerable A. S. AGLEN, Archdeacon of St. Andrews, formerly Assistant Master at Marlborough College. 450 pages, with Maps. Crown 8vo., cloth, 4s. 6d.

Old Testament History. By the Rev. T. C. FRY, Headmaster of Berkhamsted School. Crown 8vo., cloth, 2s. 6d.

Biblical History of the Hebrews. Upon the lines of the Higher Criticism. By the Rev. F. J. FOAKES JACKSON, Fellow of Jesus College, Cambridge, and Honorary Canon of Peterborough. Crown 8vo., 6s.

Short Lives of Great Men. By W. F. BURNSIDE and A. S. OWEN, Assistant Masters at Cheltenham College. About 320 pages. Illustrated. 3s. 6d.

LONDON: EDWARD ARNOLD, 41 & 43 MADDOX STREET, W.